8.R9.A.122

1664

Altra edizione
del 1827

CENTRALE V. E. II

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
8
49 A
M 22
ROMA

8-49-A-22

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCUTIO DEI
AD
COR RELIGIOSI,
IN SACRA OCTIDVANA
EXERCITIORUM
SPIRITUALIUM
Solitudine commorantis:

R. P. DANIELE
PAWLOWSKI,
Societatis JESU Theologo;

Nuper Caliſſij in lucem edita;

Nunc tertiùm recuſa:



Cum Privilegio S. C. Regiaque M.

PRAGÆ, Typis Univerſit. Carol.-Ferd. in
Coll. S. J. ad S. Clement. 1684.

Digitized by Google

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. *Oſea* 2.

DUcit Deus animam in ſolitudinem, cùm per Superiores in ordine Religioſo, vel internam motionem, ſegregat à negotiis, & hominibus, & ſecedere eos jubet ad cubiculum, &c. Loquitur ad cor ejus, cùm conſolationes cœleſtes in Meditationibus inſtillat. *Ribera, relatus à Nigrono tract. 6. Aſceticorum, cap. 7. in fine.*

Verba Angeli Gabrielis:

Ad quandam perſonam, magnæ probitatis, in Hiſpania, Anno 1600. Exercitia Societatis facere cogitantem:

Exercitiis, quæ facere cogitas, per mentis ratiocinationes, & meditationes, (in eum ferè modum, quo fiunt in Societate) ſingulare obſequium Reginæ noſtræ præſtabis: ſignificat enim tibi, ſe fuiſſe, & eſſe tanquam Patronam & fundatricem illorum Societatis Exercitiorum, ſéque adjuviſſe, & docuiſſe S. P. IGNATIUM, ut ità fierent. *Refert revelationem hanc Ludovicus de Ponte, in vita ven. P. Balthaſaris Alvarez c. 41.*

INDULGENTIA
PLENARIA
Pro peragentibus Exercitia Spiritualia.

Conceſſa primùm à Paulo V. Anno 1600. die 23. Maij, per Bullam quæ incipit; Romanus Pontifex,&c. *Pro ſolis Religioſis. Et quidem non niſi per decem dies, ab aliorum converſatione ſeparatis, atque hæc Exercitia abſolventibus.*

Extendit poſtmodum Indulgentiam hanc, Alexander VII. Anno 1657. die 12. Octobris, etiã ad quoslibet Eccleſiaſticos, & Laicos, in Domibus Societatis, Exercitia Spiritualia peragentes. Extendit præterea ad eos, qui non niſi per octo dies ijs Exercitiis vacaverint quandocunque. Bulla ejus incipit: Cùm ſicut nobis nuper exponi fecit dilectus Filius, Goſvinus Nickel, Propoſitus Societatis IESV, &c. Tenor conceſſionis eſt talis.

Omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, tam prædicta Societatis, aut cujuſcunq; alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus; quàm aliis quibuslibet Eccleſiaſticis, & Laicis, qui in Domibus memorata Societatis, Exercitia prædicta, juxta laudabilem ejuſdem Societatis conſvetudinem, per Octidui ſpatium, quandocunque peregerint, & interea temporis, verè pœnitentes & confeſſi, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino concedimus.

 ORA-

ORATIO S. P. IGNATIO

In Exercitiis ſpiritualibus valde familiaris.

ANima Chriſti ſanctifica me
Corpus Chriſti, ſalva me:
Sanguis Chriſti, inebria me.
Aqua lateris Chriſti, lava me.
Paſſio Chriſti, conforta me.
O bone JESV, exaudi me.
Intra tua vulnera abſcōde me.
Nè permittas me ſeparari à te,
Ab hoſte maligno defēde me.
In hora mortis meæ voca me
Et jube me venire ad Te:
Vt cum Sanctis tuis laudē te,
Iu ſæcula ſæculorum, Amen.

Digitized by Google

DIES PRIMA.

Sanctiſſimæ Trinitati conſecranda.

Actus jaculatorius (Teſſeram aliqui vacant) hac die identidem repetendus, erit iſte :

Domine, noverim me, noverim Te!

S. Auguſtinus lib. 2. Soliloquiorum cap 1.

Meditatio I. præludialis.

Hæc Meditatio inſtituetur, ad implendum illud, quod S. P. Annotatione 5. inſinuat: Mirum in modum juvatur, qui ſuſcipit Exercitia; ſi magno animo, atque liberali accedens totum ſtudium & arbitrium ſuum offerat ſuo Creatori. Inſtituetur, inquam, ad aſſumendum animum exactè vacandi DEO & divinis, in his Exercitiis.

Oratio præparatoria, juxta præſcriptum S. P. Ignatii fiat, per quam petatur à Domino gratia, ut vires, atque operationes noſtræ omnes ſincerè ad ejus gloriam, & cultum tendant. Praxis ejus poteſt eſſe hæc, aut alia hujuſmodi, ut ſequitur.

Digitized by Google

DIgniſſime DEUS, qui mihi hanc horam laudandi Te conceſſiſti, da mihi gratiam tuam efficacem, ut omnes actiones paſſionéſque meæ, ſed præſertim, Meditatio hæc, cum omnibus circumſtantiis & atomis, omniúmque potentiarum functionibus, ad gloriam tuam cedat: quæ ego omnia Tibi offero ex amore Tui: quia ſummum bonum es, quia dignus es, ut ſis id, quod es.

PRÆLUDIUM I. Vivâ fide apprehende præſentiam Dei, totum Univerſum, & te in illo, implentis & penetrantis, viciſsímq; apprehende, te in illo vivere, moveri, & eſſe.

PRÆLUDIUM II. Pete à Domino, tibi præſente gratiam, fructuosè & ad guſtum beneplaciti ejus, peragendi hæc Exercitia Spiritualia.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem, *Prov. 1. Audi Fili mi diſciplinam Patris tui, & nè dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo.* Hæc audiens conſidera, Patrem tuum, S. Ignatium cœleſtem hanc exercitiorum diſciplinam divinitus accepiſſe, & per illam, ſocios ſub vexillum Chriſti collegiſſe; Matrem quoque tuam, Societatem JESU, de his Exercitiis annuatim peragendis, legem tuliſſe: ex illis enim eſt nata, per ea adolevit, & hucuſque conſervatur, conſervabitúrque; qui illa negligit, vitam hujus Religionis negligit, & ordinariè non perſeverat, multò minùs

quie-

quietè vivit: ſiquidem iiſdem principiis res conſervantur, & in quiete perſiſtunt, quibus primò fiunt, & conſtituuntur. Ex his infer, quo animo hæc Exercitia aggredi debeas. Dic igitur ad S. P. Ignatium: Pater mi Sancte, nolo eſſe degener Filius tuus. Sancta Mater mea, Societas, volo in his Exercitiis quàm exactiſſimus eſſe.

II. Audi Chriſtum Dominum dicentem; *Matth.* 12. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio, cum generatione iſta, & condemnabunt eam.* Simile quiddam & tibi continget, ſi Exercitia hæc ſinè fructu animæ tuæ peregeris: ſurgent enim in judicio externi homines, & confundent te; quia ex illis optimos fructus retulerunt: multò autem magis confundent te Fratres tui, qui per hæc Exercitia in magnos Sanctos evaſerunt. Si alicui animæ è Purgatorio, aut alicui Sancto, è cœlis ad hanc vitam regredi, & eadem Exercitia peragere concederetur, quàm exactè ea peragerent. Immo ſi tibi ipſi poſt mortem idem concederetur, ô quomodo perageres? quod igitur poſt mortem faceres redivivus, id fac vivus: meditareris tunc accurratè, faceres propoſita reſolutè, &c. hæc igitur modò fac.

III. Audi DEUM dicentem, per S. Paulum: 2. *Cor.* 6. *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies ſalutis.* Neſcis, an non hæc ultima jam ſint Exercitia; an ad alia ſupervi-

Digitized by Google

ves; an non ultimum jam ſit ſalutis tuæ medium, ad quod alligatæ ſunt gratiæ efficaces, & gratia finalis, ſine qua non ſalvaberis. Cùm igitur id neſcias, infer, ità tibi procedendum eſſe in his Exercitiis, tanquam ultima ſint: in dubiis enim circa ſalutem tutior eſt pars eligenda. Id ergo in iis fac, quod faceres, ſi ultima eſſent.

COLLOQUIUM: O æterna Sapientia, Fili Dei, ô quàm ſolers es circa ſalutem noſtram! Ago tibi gratias, pro tam ſingulari, per Exercitia Spiritualia, S. Patri noſto inſtillata, ad ſalutem & perfectionem, medio, pudet Domine, hactenus illo negligenter uſum eſſe: ſaltem nunc, Te adjuvante, peragere illa conabor, juxta placitum Tuum, & debitum meum. Fiet hoc Domine, ſi Tu benedixeris mihi per interceſſionem pretioſiſſimæ Parentis Tuæ, S. Ignatii, & aliorum SS. Patronorum meorum.

Poſt hæc, I. delige Sanctum aliquem Patronum Exercitiorum. 2. Fac intentionem obtinendæ Indulgentiæ, per hæc Exercitia. 3. Fac particularia propoſita, cavendorum, & faciendorum in Exercitiis. 4. Ordina mortificationes internas, & externas, &c. In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti: &c.

Do-

DOCTRINA PRACTICA Tempore Matutino, diei primæ, relegenda.

De Perfecta intentione, actionibus noſtris præfigenda

I. DOcent graves Theologi, inter quos Soarez & Vaſquez, *Tom. 3. in 3. p. diſp. 13. ſect. 31. in 1. 2 d. 6. & cap.* 1. ad hoc, ut opera noſtra ſint meritoria, requiri intentionem ſaltèm virtualem: nempe requiri, ut aliquis operetur vi intentionis actualis, in aliquo animæ à ſe impreſſo, manentis; quod ſaltèm moralis ſit cauſa operationis. Sic omnes actiones religioſæ, per totam diem, erunt meritoriæ, ſi religioſus manè Intentionem actualem pro tota die fecerit: hæc enim actualis intentio imprimet affectum, ex quo actiones totius diei proveniunt, dummodo affectus ille, per aliquam oppoſitam intentionem non interrumpatur, vel aboleatur.

2. Plus dicunt alii, dum aſſerunt, Intentionem, ad omnes noſtras actiones, (2. 2. *quæſt. 69. artic.* 1.) eſſe de præcepto charitatis: atque ità docet S. Thomas, dum illa verba Apoſtoli: 1. *Corint.* 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite*: dum, inquam, hæc verba præceptivè procedere cenſet; explicat autem

mentem ſuam, de quali intentione loquatur, dum in diſputatis de charitate ait: Virtualiter referre omnia in Deum, cadit ſub præcepto charitatis: Quia, ut addit 1.a. *q.* 100. *art.* 10. præceptum eſt diligendi DEUM ex toto corde, ad quod pertinet, virtualiter referre omnia ad DEUM, ſic ſaltèm ad minimum, ut ſi quæreretur ex illo, facíſne hoc opus propter Deum? Víſne hoc opere laudare Deum? diſpoſitus ſit ad reſpondendum promptè; facio, volo.

3. Certum eſt Religioſum, ſicut tenetur proficere in via DEI, ità teneri intentionem facere: intentio enim cùm ſit motus in Deum, eſt initium viæ Dei. Hinc accurrati ſervi Dei, ſingulis actionibus præſertim notabilioribus, actualem intentionem præfigunt, ſaltèm aliquot verbis, v. g. propter Te, Deus, atque ad hanc accurationem urget nos Regula Summarii 7. in qua jubemur omnes, rectam intentionem habere circa res omnes particulares. Excelluit in hoc, Pater Nicolaus Lancicius, fāmâ ſanctitatis clarus, qui donô Dei, eò devenerat, ut ſingulos paſſus, incedens, & ſingulas litteras ſcribēs, actuali intentione offerret Deo, dicens mente: propter Te. Idémque faciendum, aliis ſvadebat.

4. Sicut perfectio Chriſtiana, juxta S. Paulum *ad Epheſ.* 3. conſiſtit in quadam comprehenſione latitudinis, ſublimitatis & profundi;

di: hoc eſt, (ùt explicat S. Aug. *Epiſt*, 112, *c.* 14. de videndo Deo) bonorum operum, charitatis, perſeverantiæ in bono, ſpei cœleſtium præmiorum, atque judiciorum Dei inſcrutabilium; ità perfecta intentio habet ſuam Latitudinem, Longitudinem, Profunditatem, & ſublimitatem, ùt mox videbimus.

§. I.

Latitudo Intentionis.

Primò. Complectitur totam actionem, & omnes ejus circumſtantias atomas, extenſionem, intenſionémque: Si enim in obſervanda lege Dei, jota unum, aut unus apex non debet præterire; etiam in laudando Deo, non debet apex, aut atomus præteriri, quin offeratur Deo.

Secundò. Complectitur totum hominem intendẽtem, cum omnibus potentiis & viribus tam animi, quàm corporis, ità, ut intendat laudem Dei toto ſe. Tantâ latitudine ferebatur in Deum, qui dicebat: *Pſ.* 102. *benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me ſunt, &c.* Et; *omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis Tibi? Pſal.* 34.

Tertiò. Complectitur quinduplicem fructum, cuilibet bono operi, hominis juſti annexum: Nempe, fructum adorativum & laudativum, juxta Apoſtolum ſuprà allatum, qui vult à nobis, omnia in gloriam DEI fieri.

Digitized by Google

Fructum gratiarum actorium: eſt enim realis gratiarum actio, facere opera grata Deo, uti ſunt grata Deo opera hominis juſti, Fructum meritorium augmenti gratiæ & gloriæ: quem fructum reſpondere operibus hominis juſti, definit Tridentinum. *Seſſione 6. Can. 24. & 26.* Fructum impetratorium quorumcunque bonorum: eſt enim inter hominem juſtum & Deum, etiam iſte contractus: facio, ut des; juxta declarationem ipſius DEI: *Geneſis 4. cap. Nonne, ſi bene egeris, recipies?* Fructum denique ſatisfactorium, quem reſpondere cuilibet operi hominis juſti, colligitur ex verbis, poſt abſolutionem Sacramentalem proferri ſolitis: Quidquid boni feceris, &c. ſit tibi in remiſſionem peccatorum: nempe, quoad reatum pœnæ; reatus enim culpæ remittitur per Sacramentum pœnitentiæ.

Quartò. Complectitur motiva omnium Virtutum, ex quibus ſimul ſumptis, quodlibet opus fieri poteſt, ità ut opus illud ſit imperatum ab omnibus virtutibus: perinde atque Contritio procedens ex motivo Charitatis, eſt actus imperatus Charitatis.

Quintò. Complectitur intenſionem, & extenſionem fervoris, devotionis, deſiderii, & amoris in majori ſemper proportione tam arithmetica, quàm geometrica; conſequenter extenſionem & intenſionem majoris gloriæ Dei. Fundatur hæc latitudo in verbis

Ec-

Eccleſiaſtici. *c. 43. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum poteſtis: major enim eſt omni laude.* Huc ſpectat adæquatio potentiæ, & capacitatis etiam obedientialis, obligationiſque ad ſerviendum Deo tam propriæ, quàm omnium Creaturarum: id enim ſonant verba allata: *quantum poteſtis.*

Sextò. Complectitur ratificationem omnium bonarum actionum, tam à ſe, quàm ab omni creatura, in obſequium Dei factarum. Sic ratificabat & complacebat ſibi in præterita humiliatione ſui Rex David. *Pſalmo: 115. Bonum mihi, quia humiliâſti me.*

Septimò. Complectitur ſubſtitutionem, quoad affectum, unius actionis bonæ pro omnibus etiam poſſibilibus, tam ſuis, quàm omnium Creaturarum: non enim id novum coram Deo, ut aliquid unum minus æquivaleat, ratione animi & affectûs, majoribus, & pluribus. Sic Chriſtus, duo minuta Viduæ pauperis, prætulit largis aleemoſynis divitum, plenas volas pecuniarum in Gazophylacium jactantium, inquiens: *verè dico Vobis; quia Vidua hæc pauper plus, quàm omnes, miſit, Luc. 21. verſ. 3.*

§. 2.

Longitudo Intentionis.

EXtenditur *Primò,* ad omnia & ſingula momenta totius vitæ, juxta illud: *Pſallam* Deo

DEO meo quamdiu fuero Pſ. 145. *Secundò*. ad totam æternitatem, & ultrà; ſi aliquid ulteriùs poſſibile eſſet; innuente id Prophetâ: *Nos autem ambulabimus in nomine Domini DEI noſtri in æternum, & ultrà: Michea cap. 4. Tertiò*. Ad volendum, faciendúmque aliquid propter Deum ſemel pro ſemper, imitando DEUM, cujus Verbum manet in æternum. *Semel*, inquit, *juravi, &c. Pſ. 88. Quartò*: Ad irritandum omne Tempus præteritum, non in obſequio DEI tranſactum. Sic irritabat diem, quâ natus eſt *Iob. cap. 3.*

I. 3.

Profunditas Intentionis.

EXtenditur *Primò*. ad humiliationem intendentis, juxta menſuram abyſſalem indignitatis ejus, ratione nihili peccatorum. In talem profunditatem demiſerat ſe Pſalmiſta, *dum de profundis clamabat* ad Dominum. *Pſ.* 129. *Secundò*: Ad irritationem & ſuppletionem omnis mali, tam à ſe, quàm ab omni Creatura commiſſi; actus iſte imperatur à Virtute Pœnitentiæ, juxtra doctrinam Theologorum. *Tertiò*. Ad imperſonationem cum omni irrationali creatura, nomine & omnitudine ejus, laudando Deum. Videre eſt laudem hanc in cantico trium puerorum, & alibi, ubi etiam *dracones* invitantur ad laudandum Deum *Pſ*, 148. *Quartò*. Ad imperſonationem

cum

Digitized by Google

cum omnibus peccatoribus, dæmonibus, & omnibus damnatis, volendo ſupplere laudem, quæ ab iis Deo denegatur. Laudabiliter fit hæc adimpletio defectuum laudis Dei, non minùs quàm laudabiliter. S. Paulus adimplebat ea, *quæ deerant paſſionum Chriſti, in carne ejus*, pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia: *ad Coloſſenſes* 1.

§.

Sublimitas Intentionis.

ELevatur *Primò*. ad imperſonationem cum omnibus Sanctis, quoad omnes actus & omnitudinem eorum. Sic in Canone Miſſæ dicimus: Accepta habere digneris, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tui, juſti Abel, &c. *Secundò*. ad omnitudinem pretioſiſſimæ Dei-parentis, volendo agere unitè ad actus ejus, ſeu Marianè: MARIA enim eſt Mater noſtra, & nos filii ejus non emancipati, qui in jure, unum cum Matre, cenſentur. *Tertiò*: ad omnitudinem Chriſti, offerendo omnia per illum, & in illo, volendóque agere Chriſti formiter; hoc eſt, quod ſvadet Apoſtolus, *omnia agere in nomine Domini* I E S V. *ad Col.* 3. *Quartò*. ad ipſam omnitudinem DEI, offerendo actiones noſtras adæquatè volūtati Dei, quia vult, & prout vult, adæquatè guſtui ejus: Sacrificativè illi, tanquā auctori omnium, & Domino vitæ, ac necis; propter bonum ejus, quatenus ejus; quatenus, & quia

& quia eſt ſummum Bonum, ut ſit id, quod eſt ad menſuram dignitatis, & amabilitatis ejus: corde, & affectu ejus divino: Toto illo, ſeu Deificè. Fundatur hæc elevatio in illo: *Exaltemus nomen ejus id idipſum Pſ.* 33. Et, ſi ille juravit per ſemetipſum. *Geneſ.* 22. nos quoque poſſumus laudare illum, per illum ipſum.

DIEI PRIMÆ.

MEDITATIO II.

De Fine, ad quem creatus eſt homo.

De hoc S. IGNATIUS *in Fundamento ità ait: Creatus eſt homo ad hunc finem, ut Dominum DEUM ſuum laudet, ac revereatur, eique ſerviens tandem ſalvus fiat.*

Oratio præparatoria, *ut in priori Meditatione.*

PRÆLUDIUM quoque I. idem, quod præcedentis Meditationis.

PRÆLUD. II. Pete à Deo gratiam cognoſcendi finem Creationis tuæ, tendendi ad illum, & conſequendi illum.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem, per Prophetam. *Pſ.* 99. *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Et per alium: *Nunquid non Deus unus creavit nos Malach.* 2. Creavit te Deus, Originaliter de nihilo: quid enim eras, antequam eras? quoad animum, nihil eras: quoad cor-

corpus, in materia prima aliquid eras; ſed ante materiam primam, quid etiam quoad corpus eras? Creavit te, tot aliis poſſibilibus creaturis in ſuo nihilo relictis. Fecit te non monſtrum. Fecit te naſci non ante adventum Chriſti, non tempore diluvii, non inter Ethnicos, non inter Judæos, aut Hæreticos: Non ex parentibus peſſimis, qui te pravitate omni imbuerent: non diſtulit naſcentiā tuam ad tempora Antichriſti. Item, fecit te ad imaginem ſuam, ſpiritualem quoad animam, immortalem, & beatitudinis æternæ capacem, &c.

Ex his infer, *Primò*; Si ex nihilo es, & nihil originaliter es: nihil igitur tibi arroga, pro nihilo ab omnibus reputari patere: nihil tibi deberi exiſtima. Infer 2. quantum debeas Domino DEO tuo, pro tantis productionis tuæ circumſtantiis, quàm ſanctè illi ſervire tenearis! Infer 3. Si ſpiritualis es quoad animam, quid igitur corpori nimiùm condeſcendis, & animam parum curas? Si immortalis es, quid igitur tibi cum temporalibus? Si imago DEI es, quomodo aliquo nævo deformari te patieris?

II. Audi Chriſtum Dominum dicentem: *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere, Matt.* 7. Et conſidera fructus, ſeu proventus nihili tui. Ex parte animæ, naturales iſti ſunt: Ignorantia, error, primi motus anxietatis, turbationis, inconſtantiæ, paſſionum prædominan-

minantium. Ex parte corporis, proventus naturales ſunt, omnia genera morborum, & omnes modi mortis: hæc enim omnia dum deficiunt ab aliquo eſſe, pertinent ad tuum nihilum, in eóque radicantur. | Morales deinde proventus nihili tui ſunt: inclinationes ad omnia peccata poſſibilia, & ipſa peccata, quæ jam comiſiſti, & propter quæ, ad nihilum tuum redire deberes,

Ex his infer primò, debere te paratum eſſe ad omnia genera morborum, & mortis, juxta placitum Creatoris tui. Infer 2. propter morale nihilum tuum, nempe peccatum, deberi tibi contemptum infinitum, odium æternum, depreſſionem, derelictionem, oblivionem, perſecutionem, & pœnam omnipoſſibilem, atque ità, ſi quidpiam horum ex parte tibi contingat, tanquam debitum tibi, accepta.

III. Audi DEUM dicentem; *Omnem, qui invocat nomen meum, ad gloriam meam, creavi eum Iſa. 43.* Et conſidera, ideo te creatum eſſe à Deo, ut eum laudes; verearis, ei ſervias, & tandem ſalvus fias; hoc eſt, DEUM ipſum pro mercede laborum referas. Ideo te factum eſſe Chriſtianum, ut imiteris Chriſtum, in omni virtute; ut utaris dignè Sacramentis ejus, tibi competentibus: & ſi opus fuerit, moriaris pro Chriſto: Ideo te factum Religioſum, & Socium Jeſu, ut ſervias ei ad inſtar Angeli, in omni puritate: ut ſervias illi

uſque

uſque ad defatigationem: ut non tuam ſolùm, ſed & proximi ſalutem procures.

Ex his infer primò, non eſſe te hominem, ſi vita tua non eſt laus Dei, ſervitus Dei, amor Dei. Infer 2. Non eſſe te Chriſtianum, ſi in aliquo non imitaris Chriſtum, in quo potes. Infer 3. Non eſſe te religioſum, ſi vita tua non eſt perpetua naturæ violentia: non eſſe te Socium JESU, ſi non zelas animarum ſalutem, ſi in puritate Angelica non ſervis illi uſque ad defatigationem. Confundere, & propone meliora.

COLLOQUIUM. *Feciſti nos Domine ad Te & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. S. Aug*: Ah, quomodo Creaturæ omnes tendunt ad fines, ſibi à Te deſtinatos! quanto conatu lapis tendit ad centrum ſuum! quanto impetu ignis evolat ad ſphæram ſuam! & ego non tendam? non evolabo ad Te, Deus meus? In fine, Pater, & Ave.

HORA CONSIDERATIONIS, Tempore pomeridiano diei primæ.

De Fundamentis, ſeu Principiis, & Dictaminibus, quibus ordinariè inniti ſolent imperfecti, & perfecti Religioſi.

I.

DUæ principales ſunt, in hac vita mortali, Scholæ: Una Chriſti, altera Antichri-

tichriſti, ſeu oppoſita Scholæ Chriſti. Scholam Chriſti erexit Trinitas Sanctiſſima, dum Pater noviſſimè nobis locutus eſt in filio ſuo. qui eſt VERBUM & Subſtantialis Sapientia, ſub obumbratione Spiritûs Sancti, in hominem promota. Scholam Antichriſti, erexit Trinitas ſceleſtiſſima, Diabolus, Caro, & Mundus, initiáque ejus adhuc in paradiſo facta, dum per ſcientiam boni & mali affectatam homo factus eſt ùt jumentum.

2. In his duabus Scholis, ſicut aliæ Scientiæ, & artes, toto cœlo diverſæ traduntur, ità etiam diſſimillimæ traduntur Ethicæ, morum humanorum regulativæ. In ſchola ſua Chriſtus procedit per æternas rationes, æternæ Veritatis, cum omni ſanctitate & juſtitia connexas, ad omne ſolatium hominum, juxta illud: *Lætamini in Domino DEO veſtro, quia dedit vobis Doctorem juſtitiæ. Ioël.* 2. In ſchola Antichriſti, proceditur per fallacias æternæ falſitatis ad interitum ducentes. Diabolus enim *in veritate non ſtetit, Rom.* 8. & non ſtat. Prudentia carnis mors eſt; *Sapiẽtia hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum.* 1. *Cor.* 3.

3. Ex his, tam diſſentientibus Scholis, & Ethicis, deſumunt fundamenta, ſeu principia & dictamina, iiſque vitam ſuam dirigunt imperfecti, & perfecti Religioſi. Imperfecti ex Schola & Ethica Antichriſti, ſeu diaboli, carnis, & mundi: perfecti ex ſchola Chriſti, ùt ex ſequentibus dictaminibus patebit.

Digitized by Google

Primum fundamentum ſeu dictamen, imperfectorum Religioſorum eſt hoc: Jam non ſum Novitius: pridem prætextam exui: habeo ego meum Deuteronomium: non indigeo pædagogo, &c. Hoc dictamen pertinet ad Belial; qui ſignificat idem, quod ſinè jugo; proindéque deſumitur ex Ethica diaboli. Non es, Religioſe, jam Novitius; ſed es inveteratus malorum. Exuiſti prætextam, ſed non induiſti Chriſtum. Habes Deuteronomium tuum, ſed non DEI & Chriſti. Non indiges pædagogo, quia Magiſtrum non agnoſcis Chriſtum. Non es Novitius ad nuncupanda vota, ſed eſſe debes ſemper Novitius ad perfectionem. Non annos DEUS computat, ſed animum.

Oppoſitum huic dictamen habent perfecti Religioſi, dum ajunt: Geram me ùt primæ diei Novitium; deſumúntque dictamen hoc ex Ethica Chriſti, quam non ignoravit puer Domini David, credens in Chriſtum venturum, dum dixit: Nunc cœpi. *Pſal. 76.* Idem dictamen inſtillabat, diſcipulis Chriſti, & ſuis, S. Antonius Abbas, ante mortem ità eos alloquens; *Admoneo vos, ô viſcera mea, nè tanti temporis laborem repentè perdatis; hodiè vos religioſum ſtudium arripuiſſe arbitramini.* Sis ergo Religioſe veteranus, ſicut S. Petrus, ut te cingat alius, & eas quò non vis, ſicut cinctus eſt, poſtquam ſenuit Petrus. *S*is veteranus forti-

fortitudine, multa agendi & patiendi pro Deo. Itèm, ſis Novitius exactâ obſervantiâ omnis religioſitatis, modeſtiâ, teneritudine conſcientiæ, & æſtimatione omnium tanquam Superiorum, tolerantiáque correctionis, & diſciplinæ religioſæ.

Secundum dictamen imperfectorum Religioſorum eſt: Licet aliis, cur non mihi? Etiam alii ſub eadem regula viventes habent intellectum, doctrinam, ac probitatem, & tamen aliter ſentiunt, & aliter procedunt. Dictamen hoc ab exemplo, eſt ſimile illi pronuntiato Phariſæorum, contra Chriſtum pugnantium. *Ioan. 7. Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſais!* quaſi dicerent; tot alij docti & probi non ſequuntur Chriſtum hunc, & nos ſequemur? Phariſaicum ergo hoc dictamen eſt, ſi eſt contra regulam religionis, proindéque ad ſcholam Antichriſti ſpectans.

1. Opponunt illi aliud boni Religioſi ex ore ipſius Chriſti deſumptum: *Quid ad Te? tu me ſequere.* Attende tibi & regulæ. Non veniſti imitari homines quoſcunque, ſed Chriſtum. Judicium de aliis relinque Deo, & fac, quod facere tenéris.

Tertium dictamen imperfectorum religioſorum: Regulæ me non obligant ſub peccato, hæc eſt conſilii, non præcepti. Et hoc dictamen in ſchola diaboli natum eſt: eo enim

ad-

Digitized by Google

admiſſo, etiam florentiſſimæ Religiones corruunt, ſublatâ obſervantiâ regularum, per quam florebant, & ſubſiſtebant.

Bonis Religioſis, aliud in corde ſimúlque in ore eſt, nempe hoc: dignus eſt Deus, ut obſervem etiam non obligantia ſub peccato; ad Chriſtum, Chriſtíque ſcholam pertinet dictamen hoc, utpote cœleſtibus incolis uſitatum, prout teſtatur S. Joannes: *Apoc. 4. Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem.* Et certè non decet, Religioſum eſſe plebejum Dei ſervum, metu ſolo ab iis tantùm abſtinentem, quibus adnexa eſt Inferni, aut purgatorii pœna.

Quartum dictamen imperfectorum: concedendum aliquid tempori, remittendum aliquid de rigore & ſeveritate; rigor iſte obeſt valetudini; arcus ſemper tenſus, facilè rumpitur. Cujus ſcholæ ſit dictamen hoc, colligitur primò ex dictis impiorum *Sap. 2. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, &c. Venite ergo, & fruamur bonis, &c.* Non prætereat nos flos temporis. Colligitur deinde ex eo, quia ſub pallio neceſſariæ valetudinis, commoditates carnis, & ſuperfluitates ſvadet, ſpectat igitur ad magiſterium carnis, adeóque ad ſcholam Antichriſti.

Non ſic boni Religioſi, qui ſibi occinunt illud Angelicum: *Apoc. 10. Tempus non erit ampliùs*; Momentum, ex quo pendet æternitas!

nitas! Nondum ad ſanguinem reſtiti. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Non decet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum. Non prodeſt corpori, quod nocet animæ.

Habent & alia imperfecti Religioſi dictamina ſua, Ethicam, moribus Chriſti contrariam, redolentia; qualia ſunt: jus naturæ ad hoc habeo: Non hoc requirit Juſtitia diſtributiva. Solus ego videor, & notor. Futuris eſt proſpiciendum. Singularitates ſunt iſtæ, & exoticiſmi: Sic fies exoticus, nec promoveberis: Minor inde erit gloria DEI, ſi inferioribus poſthabearis. Habenda eſt ratio famæ propriæ. Hæc omnia ſunt fallaciæ diaboli, finem vanitatis, commoditatis, propriæque excellentiæ ſpectantes; proindéque è ſchola Chriſti eliminandæ.

Opponunt illis boni Religioſi has veritates: Religio eſt perpetua naturæ violentia. Servus inutilis ſum. Ego & aſinus pares ſumus: ſolæ paleæ mihi debentur, & verbera. DEUS regit mundum, non mihi frangam caput: Ipſi eſt cura de nobis. Si hominibus placerem ſervus Chriſti non eſſem. Hæc eſt gloria DEI, confuſio mea: Chriſtus in infami ſtipite pendet, & ego famam quæram?

Ex hac antitheſi dictaminum collige, religioſe, cujus ſcholæ diſcipulus ſis, & ſi aliqua principia, non ex ſchola Chriſti hauſiſti, in his

Ex-

Exercitiis, ejura illa; & ſola dictamina Magiſtri tui Chriſti, ſequere, & exſequere.

DIEI PRIMÆ
MEDITATIO III.
De Mediis ad obtinendum Finem, homini à Deo ordinatis.

Verba S. Patris ſunt: Reliqua verò ſupra terram ſita, creata ſunt hominis ipſius causâ, ut eum ad finem creationis ſuæ juvent.

Oratio præparatoria *ut ſuprà.*

PRÆLUDIUM quoque I. *ut ſuprà.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, cognoſcendi, & uſurpandi media, ordinata tibi à Deo ad ſalutem.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem per S. Paulum: *ad Rom.* 8. *Omnis creatura ingemiſcit, & parturit, uſque adhuc.* Et conſidera omnem creaturam datam tibi eſſe à Deo, medium ad ſalutem; ingemiſceréque, & parturientis inſtar clamare, ut tendas ad Deum. Fecit Deus in oculis tuis tot gradus creaturarum, ut per eos aſcendas ad illum. Extendit tam pulchrum cœlum, ut ex eo, & in eo appetas pulchritudinem Dei, & deteſteris deformitatem tuam. Lucent tibi planetæ, lucent ſtellæ, ut appetas lucem Dei, & horreas tenebras tuas. Terra tibi tot fructus parit, ut fru-

Digitized by Google

ctifices Deo cúmque pro æterno fructu refe-ras. Dedit tibi teipſum, ut perdas te propter Deum, & lucreris illum. Dedit tibi corpus, ut illud mortificans vivifices, & in Deo veram nanciſcaris vitam. Dedit animam, ut ſapias ea, quæ ſunt Spiritûs Dei. Dedit tot potentias animæ, ut per earum uſum introëas in potentias Domini.) Et quando tandem toto corde, & toto te contendes ad Deum? Tot illicia ad ſerviendum Deo habes, quot motus cœlorum, & quot motus potentiarum tuarum; utere illis, ut utaris æternùm DEO.

II. Audi Deum Patrem dicentem. 2. *Petri* 1. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Hoc eſt: ô homo, medium ſalutis tuæ Mediator verus Chriſtus Jeſus, qui medius veſtrûm ſtetit, ille eſt Via, Veritas, & Vita: dum illum vobis donavi, nihil vobis negavi. Habes in eo theſauros omnes gratiæ, doctrinæ, exempli, omnis perfectionis, Sacramentorum, meritorum. Si eſuris, cibus tuus eſt; ſi ſitis; potus eſt. Si infirmaris, pharmacum eſt. Si mortuus es, vita vivificans eſt.) Ex his infer, magnam tuam damnationem, ſi hoc tanto ad ſalutem medio non fueris uſus; vel non, ùt par eſt, fueris uſus. Vide, quomodo uſus ſis gratiis ejus, exemplo, Sacramentis, paſſione, mortéque ejus, & quomodo deinceps hæc omnia in ſalutem tibi convertere debeas.

III.

III. Audi Chriſtum Dominum dicentem: *Ecce, Mater tua! Ioan.* 19. Ecce pretioſiſſima Mater mea, eſt mediatrix, & advocata tua, mediúmque poſt me, ſalutis tuæ: ordinavi enim, ut nemo ſalvetur niſì mediante illa, omniáq; te volui habere per illam. Cùm adhuc eſſes parvulus, injeci tibi affectum ad hanc Matrem, & feci eum in te creſcere, cum quo & omnia bona ſtatim in te ſuccreverunt; fovit te iſta Mater, etſi immorigerum; contexit etſi fœdum: iras meas à te avertit, pericula amovit, gratias efficaces impetravit; propter illam mirè direxi cor tuum, regebam te mihi, ſervabam te mihi, ſubtrahebam occaſiones, tentatori non permittebam tantum, quantum volebat; dulcedines mundi, amarulentas reddebã. Tandem, te vocavi, & adduxi ad me propter MARIAM. Infer ergo, quantum Mariæ debeas! erumpe in omnimodos affectus, exardeſce quoque in amorem Dei, propter Mariam.

COLLOQUIUM: Ergóne mi Jeſu, non ſerviam tibi, qui non ſolùm in tot creaturis, ſed etiam in tua perſona, & in pretioſiſſima Parente tua deſerviviſti, & deſervis mihi? O! ſi eſt vel unica in me ſubſtantiæ particula, quæ non tendit in obſequium, laudem, & amorem tui, erue illam! malo totus non eſſe, quàm non totus ſervire, laudare, & amare te.

In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

DIES SECUNDA:

Verbo incarnato conſecranda.

Actus ejaculatorius hujus diei erit iſte Domine, etſi ego commiſi, unde me damnare potes; tu non amiſiſti, unde ſalvare ſoles. S. *Aug*: *Medit*: *cap*. 39.

MEDITATIO I.

De formidanda gravitate, & menſura peccatorum mortalium.

Utramque conſiderandam docet S. Pater, dum ait: *Exercitioru* 1 *Hebd*. 1. *punct*. 3. Memoriâ verſandum erit, quanta ſit peccati gravitas, & malitia, Deum omnium conditorem, atque Dominum offendentis.

Et paulò ſuperiùs: exerceamur circa peccatum mortale, & particulare quodlibet, &c. conſiderando, quòd peccato tali, vel ſemel duntaxat commiſſo, fortè detruſi ſint multi ad infernum, æternúmq; damnati.

Oratio præparatoria, & Præludium I. idem quod in prima Medit. Diei primæ.

PRÆLUDIUM II Pete à Deo gratiam concipiendi horrorem peccati mortalis.

Punctum I. Audi dicentem Deum: *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te, Dominum tuum*, Ierem 2. Hoc audiens, conſidera 1. tam malum eſſe peccatum mortale, ſicut bonus eſt Deus, utpote oppoſitum directè Deo, deſtructivum, & annihilativum

ivum Dei,(quantum in illo eſt) crucifixivum Chriſti, & omnium poſſibilium creaturarum annullativum: audebíſne ergo, religioſe, peccatis tuis aliquando moliri interitum Deo tuo? audebíſne conari crucifigere Chriſtum, latúſque ejus cruentis manibus ſcrutari? 2. adeò amarum, & damnoſum eſſe peccatum mortale, ut in eo nihil pro gloria cœleſti poſſis mereri, nec pro eo ulla creatura, ad æqualitatẽ ſatisfacere poſſit, etiamſi infinitâ gratiâ præditâ ſit, & etiamſi tormenta inferni ſubeat: tam damnoſum eſſe, ut totâ æternitate, pro eo momento, in quo peccâſti, ſis compariturus, ùt odibilis Deo (etiamſi in cœlo fueris) ut ſpoliet omnibus meritis, faciátq; captivum diaboli, & ponat hominem in metu damnationis per totam vitam; præcisâ ſpeciali revelatione Dei. Infer ergo, quomodo horrere debeas peccatum mortale, & propone.

II. Audi Chriſtum Dominum dicentem; *Matt. 23. implete menſuram Patrum veſtrorũ.* Hoc certè eſt, ad quod tinniant ambæ aurès tuæ, Religioſe, & contabeſcat cor tuum: quia ex abyſſalibus Dei judiciis, ſinguli homines, ſecundùm menſuram, & plenitudinem peccatorum ſuorum conſummantur; & tamdiu, ut convertantur, ſuſtinentur; quamdiu cumulum ſuorum, non habuerint, peccatorum conſummatum. Si ſemel peccaveris mortaliter, neſcis, an hanc menſuram, an hunc cumulum non

complebis? Nunquid enim unus, pro unico mortali, eſt damnatus? Vide igitur, quàm cohorrere, & cavere debeas peccatum, nec abuti patientâ DEI, te tolerantis.

III. Audi Chriſtum Dominum dicentem? *Ioan. 3. Spiritus ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis; ſed neſcis, unde veniat, aut quò vadat.* Neſcis Religioſe, quando, & quò auferetur Spiritus gratiarum efficacium, ſpecialiúmque favorum DEI: & horum enim apud Deum menſura eſt: fit hoc, ut ab aliquibus auferatur regnum Dei, ut auferatur gratia vocationis, & detur aliis: completur autem hæc menſura interdum in pœnam peccati mortalis alicujus commiſſi, interdum per alias ingratitudines. Hinc infer, quàm gratus eſſe DEO debeas! quàm cautus in omnibus! quàm obſervans omnis religioſitatis: & propone.

Colloquium: Tolerâſti me Domine hactenus, tolerâſti! ſprevi Te, conculcavi Te! crucifixi Te! vidiſti, ſenſiſti, tacuiſti! Ergóne abutar miſer tam longâ patientiâ Tuâ? Ideóne Tu bonus, ut ego ſim malus? O amor infinite, quomodo ampliùs deſeram Te? Si vides me aliquando peccaturum, fac ut pro illo momento à Dæmone inſidear, aut pœnas inferni patiar, antequam peccem; & tamdiu patiar, donec pertranſeat momentum, quo peccaturus eram.

In fine dices Pater, & Ave, &c.

DO-

DOCTRINA PRACTICA

Tempore matutino, diei ſecundæ, relegenda.

De Cauſis ruinæ Religioſorum.

EA eſt mundi hujus volubilitas, tantúmq; vitæ noſtræ mortalis infortunium, ut etiã ij, qui Deo ſerviunt, interdum non ſint ſtabiles, & in Angelis ſuis Deus reperiat pravitatem, candidíque Nazaræi, ſuper carbones denigreſcant, & qui veſcebantur in croceis, amplexentur ſtercora; & qui ſtabant, aut ſtare videbantur, miſerrimè corruant.

Quo infortunio, nè & tu, religioſe, involvaris, pervide in his Exercitijs, cauſas miſerabilium ruinarum in Religionibus, & ex Religionibus; ut ijs perſpectis, eaſdem devites.

Prima igitur ruinæ Religioſorum, in Religionibus, & ex Religionibus, cauſa eſt, quàm adumbravit Chriſtus in *ædificata Domo, ſuper arenam, ſinè fundamento, cujus ruina facta eſt magna, poſtquam deſcendit pluvia, venerunt flumina, & flaverunt venti. Matt*: 7. *Luc*. 6. Cauſa inquã, ruinæ eſt; non jactum, aut non bene jactum, in Novitiatu, Religioſitatis fundamentum: non radicatus horror omnis peccati, præſertim mortalis; non penitùs abſtractus à ſæcularibus deſideriis animus: non inducta mortificationis internæ externæq; aviditas, ſeu fames, & ſitis crucis; nõ impreſſæ cor-

di rationes æternæ: non ſtabilita rerum ſpiritualium æſtimatio: ſub exteriori ſolùm modeſtiola, tanquam ſub cineribus doloſis; mundani conſervati igniculi, & propter metũ, perpetuámq; tot ſuperiorum vigilantiam protractum utcunq; tirocinium: ex quo vix pedem miſer religioſus extulit, & ecce idem, qui fuit ante ingreſſum religionis, compáret, interdũq; pejor: hinc ſenſim ſinè ſenſu deterioratur, ſæculareſcit, inept⁹ religioni redditur, ac corruit. Si coram Deo, religioſe, judicas te non ſolidũ in Novitiatu poſuiſſe fundamentum, nec in petra ædificâſſe, ſed ſuper arenam; adhuc corrigere datur: optimè enim nôſti, quid à te requirat Deus, quid conſcientia, quid Religio, quid inſtitutum, quid inſpirationes DEI.

Altera ruinæ Religioſorum cauſa eſt, quam Chriſtus objecit Angelo ſeu Epiſcopo Epheſinæ Eccleſiæ dicens; *Apoc. 2 Habeo adverſùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.* Cauſa ergo eſt, receſſus à primo Novitiatico fervore; ſeu, intepeſcentia, principaliter ex malo & infructuoſo uſu Orationis, ac Meditationis orta: dum ad eam præparatio, aut non inſtituitur, aut miſerè inſtituitur, dum non ſuo tempore peragitur, decurtatur, tandémq; etiã omittitur. Sic dum in Meditatione non exardeſcit ignis, noxiè tepeſcit animus, tædiũ faſtidiúmq; rerum ſpiritualium introducitur, vita ipſa religioſa diſſipit, ad ultimum tepoſis gradũ de-

devenitur, & ruina ſubſequitur: tepidorum enim tam medicina, quàm pœna, non eſt niſi gravis ruina. Cave igitur, Religioſe, cauſā hanc ruinæ, atque ità obfirma animum, prout obfirmaverat Princeps Theologorum noſtrorum, P. Franciſcus Suarez, qui dicere ſolebat: ſe malle totam ſcientiam ſuam, tot annis quæſitam perdere, quàm horam unam orandi, conſvetam in Societate, intermittere; ùt perhibetur in vita ipſius, præfixa Tomo de gratia.

Tertia ruinæ Religioſorum cauſa eſt, præcedenti proxima, & ex ea profluens, quam exprobravit, licèt in graviori materia, Jacob Patriarc a filio ſuo Ruben *Gen. 49. Effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Effuſio nempe ad exteriora, quæſitióq; ultronea diſtractionum, converſationum, ſolius tædii vitandi cauſâ, ingeſtio ſui in negotia non neceſſaria, ſpontaneè, & non ex obedientia: per talem ad exteriora effuſionem, diſſipatur ſpiritus, interna negliguntur, in via Dei non ſumitur incrementum, nec proficitur, ſed tandem deficitur & peritur, ſeu, in ruinam itur. In quæ mala nè devolvaris, religioſe, attende tibi & religioſitati; eſt, quod agas circa animam tuam! Æternitatis negotia habes, age quod eſt muneris officiiq; tui, cætera Deus non requirit à te. Si cogeris ad exteriores occupationes, cōmoda te illis, non dona, idque, ex parte ſolùm, & non totum; tecum autem intus habita, cubiculum ama, & amabit te amator ſolitudinis, Jeſus.

B 5 Quar-

Quarta ruinæ Religioſorum cauſa eſt ſimilis illi, ob quam corruit Lucifer: nimirum, appetitus excellentiæ propriæ, defectuſq; humilitatis: ex quo oritur appretiatio ſui ipſius, fuga omnis depretiationis ab alijs, jactatio nobilitatis, doctrinæ, aliorúmq; talentorum; deſiderium, & procuratio eminentiæ, prælationíſque ſupra alios, officiorum honoratiorum, manſionis commodioris; indignatio, dum alij præferuntur, muneribus ſpecioſis applicantur, vel ad res gerendas, & ad altiora docenda, &c. indignatio quoq; ob non reſpectum ſui, ob labores ſuos, &c. ex indignatione oritur amaritudo animi & inſipida vita in Religione, & tãdem ejuſdem deſertio. | Ob talem excellentiæ propriæ appetitum, corruit olim, in Provincia noſtra, *an. cir*, 1630. quidam, qui cùm coram Generali Exercituum Duce Koniecpolski, cõcionatus eſſet, hanc ab eo laudem tulit: Egregius eſſet Prælatus, ſi Religioni non eſſet obligatus. hoc encomiô auditô, Societatem deſerere decrevit, allégans inopiam Parentum, ad quam ſublevandam jure naturæ teneretur. Sed Collegium Cracovienſe, in eorum ſuſtentationem, ſexcentos florenos obtulit: reperit ille alium prætextum, aſſerens, ſe ante ingreſſum Societatis, fuiſſe Monachum; atq; ità dimiſſus, rectà Barum, ad Koniecpolski Ducem diſceſſit: ad quem non admiſſus, id ſolum reſponſi tulit; ſe. Patrem N. N Jeſuitam nôſſe, & illum ama-

re; alterũ verò non nôſſe. Sic miſerè deceptus, ab Epiſcopo Camienecenſi Piaſecki, exiguum beneficium impetravit, deinde P. Rectorem Camienecenſem, adijt uſurus ejus operâ, in iterata admiſſione ad Societatem; re tantiſper dilatâ in deſperationem incidit, & quadā die, ablegatô famulô, cultrũ arripuit, decémq; vicibus cùm pectus ſauciâſſet, animam efflavit, extra locum ſacrum ſepultus, qui terram Sanctam, Societatẽ, Prælaturæ causâ deſeruerat.

Quinta ruinæ Religioſorum cauſa eſt, (quā exprimit Deus *Oſea 7. Comederunt alieni robur ejus, & ipſe neſcivit,*) Libera & incauta cõverſatio cum ſæcularibus: de fide enim eſt, cũ ſancto, ſanctum fieri; cum perverſo, perverti. Ergo & cum ſæculari incautè converſantem, ſæcularem fieri, certum eſt. Et quidem interdum ad hanc converſationem deveniunt Religioſi ex tædio ſolitudinis & ſilentij, interdum autem ex occaſione & notitia bona, ratione Miſſionum, Confeſſionum, eleemoſynarum; ſed paulatim contrahitur confidentia, liberior agendi modus: cõmunicatio ſecretorum, literæ occultæ, & tandẽ ruina. Quid tibi, Religioſe, cũ ſæcularibus, qui ſoci⁹ factus es Angelorum?

Sexta ruinæ Religioſorum, præſertim, in, & ex noſtra Societate, cauſa eſt (ut alia omittam) Fortis perſvaſio, quâ putat Religioſus ſe poſſe ſalvari, extra Religionem in ſæculo, & quidem ibi ſe utiliorem fore Eccleſiæ Dei, quàm in Re-

ligione,aut ad minimum æquè utilem. Hæc eſt deceptio, & captivatio oculorum diabolica. Potes ſalvari in ſæculo,ſed non ſalvaberis, propter præciſum Prædeſtinationis filũ. Quis tu es,qui vis,utDeus ſe tibi accommodet circa vitæ ſtatum,& non tu Deo? putas te fore utilem Eccleſiæ Dei, & tu radicem omnis boni, voluntatem Dei deſeris. Putáſne luſiſſe tecum Deum, dum te ad Religionem vocavit? putas quoque tibi colluſurum Deum, & ad inconſtantiam tuam, mutaturum ſeriem prædeſtinationis ſuæ circa te? Nulli bene cecidit alea hæc. Sta igitur in gradu tuo, & non corrues.

DIEI SECUNDÆ
MEDITATIA II.

De odibilitate peccati venialis.

Facit illius mentionem S. Pater, Hebd. 2. die 5. de gradibus Humilitatis,dicens: tali illud odio haberi debere, ut nullâ, vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſitâ, adducar unquam,ut illud decernam admittere.

Oratio præparatoria conſveta.

PRÆLUD:I.Idem quod in Med. I. diei prim.

PRÆLUD. II. Pete â Deo gratiam ſalutiferè penetrandi odibilitatem peccati venialis illúdque vitandi.

Punct. I. Audi dicentem Deum; *Levit* 11. *Sancti eſtote,quia ego ſanctus ſum*. & conſidera, quòd,

quòd; ſicut impoſſibile eſt, ut ſanctitas Dei cõpatiatur ullam diſordinationem, etiam leviſſimam; ità impoſſibile ſit, ut in nobis toleret approbativè Deus, ullam diſordinationem venialiter peccaminoſam. Si (quod utique non erit) in Humanitate Chriſti, aut in Matre ejus, aut in aliquo ex Sanctis jam glorioſo, vel unicum peccatum veniale compareret, ità illud nõ toleraret, ut ſtatim unio Hypoſtatica inter Humanitatem & perſonam Verbi diſſolveretur, ſtatímq; Virgo MARIA, aut Sanctus ille, glorià cæleſti privaretur: ità eſt odible coram Deo peccatum veniale, ut illud non ſit admittendum etiamſi ex admiſſione illius ſalus totius mundi ſequeretur, & etiãſi omnes damnati in Sanctos cõverti deberẽt. Vide ergo, quãto odio illud habere, quãtâ ſolicitudine cavere debeas.

II. Audi Deum dicentem: *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* Judica tu ipſe, ſi quis filius ità diceret: revera diligo Patrem, ſed tamen, citra vulnera mortifera, & mortem, quidquid ei moleſtiarum, ac injuriarum, inferre potero, faciam omnia, ſinè reſpectu, liberrimè. Quid putas? honorarétne Filius iſte Patrem? Quid putas? an non cruentaretur cor paternum reſolutione tam audaci Filii? eſſétne Filius iſte, & non potiùs ſceleratus lurco? Talis es & tu, religioſe, dum venialiter, plenè deliberatè, offendis, aut paratus es offendere Deum. Scis ex Apoſtolo, quòd peccato mortali rurſus crucifi-

gatur Chriſtus: proinde per peccatum veniale quodammodo conſpuitur & injurijs afficitur. Iſtáne non movebunt? *Silex es*, ſi non movêris ad vitandum peccatum veniale.

III. Audi dicentem Deum: *Qui modica ſpernit, paulatim decidet. Eccl.* 19. Sicut per frequẽs ſtillicidium, & madefactionem tignorum domûs, non ſtatim corruit domus, ſed diſponitur, ut tandem corruat. Et ſicut morbi, non faciunt quidem ſtatim mori hominem, diſponũt tamen ut moriatur: ità peccata venialia ipſa quidem non important mortẽ animæ & damnationem; diſponunt tamen ad illam; partim, quia diminuunt fervorem charitatis, quo diminuto, redditur homo minùs potens ad reſiſtendum tentationibus: partim, quia impediunt gratias actuales, & ſic homo ruit voluntate ſuâ in præceps: partim, quia reddunt hominem indignum gratijs efficacibus ad reſiſtendũ tentationibus. Et nõ fugies tanta pericula, à peccatis venialibus importari ſolita?

Colloquium Ideóne, mi Deus, cõmittam aliquid contra te, quia eſt leve? immo verò propter hoc ipſum non committam, quia eſt leve; ſed vincam me faciliùs ob levitatem ipſam. Ero cum gratia tua in minimo fidelis, ut merear fidelis eſſe & in maximo. O! oculi D̃ni mei, auferte de corde meo omnes nævos! O Sanguis Chriſti mei, ab omni etiam leviſſima macula ablue me, &c. In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

HO-

HORA CONSIDERATIONIS,

Tempore pomeridiano, diei Secundæ.

De horrore peccatorum venialium.

Magnus Dei ſervus David, hac ſibi propoſitâ quæſtione: *Cur timebo in Die mala?* ſic reſpondet: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quid per iſtam calcanei iniquitatem intelligatur, per ſententias interpretum non eo, ſequórq; ſenſum eorum, qui peccata venialia intelligunt, quæ ordinariè ab hominibus, pulveris inſtar habentur, contemnuntur, calcaneô teruntur, his igitur ſe circumdari timet Propheta; eadémque timenda ſunt alijs Dei ſervis: facilè enim ab ijs datur progreſſus ad mortalia. Hinc Sanctæ Thereſiæ oſtenſus fuit à DEO locus in inferno, in quem incidiſſet, ſi quædam peccata venialia non vitâſſet; ùt illa ipſamet ſcribit in vita ſua. *cap 32.*

Modi autem comparandi ſanctum timorē, horrorémq; horū peccatorū, poſſunt eſſe iſti:

Primò, elicere frequenter actum amoris Dei ſuper omnia: qui actus, non ſolùm id habet, quòd dum eſt ſupernaturalis, deleat peccata tam venialia, quàm mortalia; ſed etiam continet virtualiter horrorem, deteſtationēq; omnis peccati venialis: nā hoc ipſo, quia eſt ſuper omnia, eſt etiā ſupra illud bonū, in quod, peccās venialiter, fertur: *nemo enim intēdens ad malū, operatur.* Occaſiones autem eliciendi actum amoris divini, ô quot habet Religioſus per diē!

quis illum prohibet, ſingulis horis,ad pulſum horologii, ſimul cum ſalutatione Angelica, actum amoris Dei elicere, verbis, vel ſolâ mente? In ſingulis deinde conſcientiæ examinibus, ſacri auditionibus, vel celebrationibus, orationibus vocalibus, temporibus ſuccisivis, dum nulla urget occupatio, &c. ô quantæ dantur opportunitates eliciendi actum hunc, & dignissimum, & utilissimum.

Secundò: In ſingulis præparationibus ad Confeſsionem Sacramentalem, & in quotidianis Examinibus, vel etiam meditationibus, obfirmare animum contra peccatum veniale, per proteſtationem,reſolutionémq; Reſolutioni S. Anſelmi perſimilem, in hunc modum:

Domine! ſi ex una parte recluſas inferni fauces, ex altera parte,peccatum veniale,ſcienter, & plenè deliberatè committendum, præ oculis haberem; mallem in infernũ ruere,quã ſcienter,& plenè deliberatè,venialiter peccare.

Et hæc reſolutio, non eſt meri affectûs, & per modũ alicujus piæ ſupererogationis, qualis fuit illa S. Auguſtini, ùt ſcribit Ribadeneira in vita ejus: Domine, valde exultat anima mea,quòd tu ſis Deus; verùm ſi per impoſsibile fieri poſſet, ut Auguſtinus eſſet Deus, & tu Auguſtinus, omnino vellem eſſe Auguſtinus; ut tu eſſes Deus. Non eſt,inquã reſolutio,cõtra peccatum veniale ſupererogatoria & meri affectûs; ſed eſt æquitatis & omnimodi debiti,

com-

comparando cum eo, merè pœnam infernalem: tum quia peccatum veniale eſt difforme naturæ intellectuali, & eſt offenſa Dei: pœna autem, ùt pœna, nõ eſt offenſa Dei, nec eſt difformis, ſed conformis: tum quia peccatum veniale interdum ſolâ materiæ quantitate, vel qualitate differt à mortali peccato, proindéq; affinitatem habet cum illo veluti intrinſecam, nullam autem ejuſmodi affinitatem, etiam cum peccato veniali, habet pœna, ùt pœna.

Eadem reſolutio ità inhæſerat cordi aliquorum Dei ſervorum, ut cum auxilio D i obſtrinxerint ſe voto ſpeciali, ad non committendum unquam peccatum veniale, ſcienter & plenè deliberatè.

Bibliotheca Scriptorum Societatis noſtræ perhibet de Patre Ludovico de Ponte; quòd is, viginti ante mortem annis, votum hoc nuncupaverit, & feliciter Deo adjuvante, impleverit, ſanctè mortuus 1624 17 Febr. Corpus illius, in quo Angelica habitavit anima, poſt mortem, Angeli ſtipare viſi.

Ibidem refertur, de P. Jacobo Alvarez de Paz, cujus Aſcetica ſcripta præ oculis habem⁹ utinam & præ animis! Eum 26, ante mortẽ annis, ſimili voto non committendi plenè ſcienter ullum peccatum veniale, obſtrictum, obligationi huic cum divina ope ſatisfeciſſe, unde non immeritò, eundem, die quodam celebrantem Chriſtus Dominus amplexari viſus corpúſq; ejus incorruptum poſt mortem mã-

ſit.

Digitized by Google

ſi; & ex eo liquor, balſamo non abſimilis, promanat, atteſtans eũ fuiſſe bonũ odorẽ Chriſti.

Non poſſum, & tertij non meminiſſe, cujus præclaram mentionem, non tam ad imitandum, quàm ad confundendos tepidos, ferventioribus autem admovendum calcar, facit P. Euſebius Nierembergius *Vita Divina cap. 31.*

Fuit is P. Jacobus de Saura, qui divino amore ſaucius, Votum (quod mox referam) concepit, cúmque illud cordi ſuo impreſſum, optaret, ex ſpeciali inſtinctu Dei, pectus ſibi ipſi à ſuperiore cordis parte aperuit, proprióq; ſanguine votum ſcripſit, & nomine ſubſcripto firmavit. Vulnus illud adeò altè in corpus deſcenderat, ut cor ipſum penetrâſſe videretur, prout poſt mortem, relicta inibi cicatrix teſtabatur. Votum hoc tale fuit:

Amore Sanctiſſimæ Trinitatis, Jesu, Mariæ, & Sanctorum omnium, voveo quòd ad maximam perfectionem velim conniti. Nôſti mi Deus deſiderium meum, & quomodo moriar præ amore quem habeo, tibi puriſſimo cũ affectu ſerviendi. ô Deus meus, & amor meus, ſuſcipe me in ſervum tuum, & meam mihi negligentiam benignus remitte. Voveo itẽ, quòd niti velim ad Angelicam puritatem, quod ad rem nullam afficiar, nisi ad te, & propter te; neq; aliud amabo, nisì te Deum meum, quòd in rebus omnibus, ubi peccatum non cernitur, obtemperabo ſuperioribus meis, omnémq; illorum

lorum voluntatem affectu,& perfectione, quâ potero, exequar; quòd, quidquid faciam, dicam, cogitabo, deſiderabo, id omne futurum ſit amore Sanctiſſimæ Trinitatis, & Domini mei Jesu, ac Dominæ meæ Mariæ, S. Joſephi, S. Patris mei Ignatii, & Curiæ cœleſtis Univerſæ: quòd regulas meas ſervabo, neque deliberatè peccatum etiam minimum, aut imperfectionem ullam committam; quòd cum gratia Dei mei conabor eſſe in continuo actu, exercitióque amoris, conformitatis, reſignationis, & deſiderii, eidem Deo meo placendi: & quòd omni loco, ac tempore, in Dei præſentia ambulare ſtudebo.

Votum hoc non ideo adduco, ut ejus nuncupationem cuipiam perſvadeam: nuncupare enim illud ſinè ſpeciali Dei inſtinctu, & conſilio Patris Spiritualis, periculoſum eſt, & ſi violetur, cõſtituit ſpecialem malitiam, intra ſphæram tamen peccati venialis, ſi venialiter peccetur. Sed ideo adduco, ut ſaltem per firma propoſita religioſus obfirmet animum ad non peccandum venialiter.

Non video præterea periculum in hoc, ſi religioſus, hìc & nunc, ad non peccandum venialiter, obliget ſe voto, duraturo ſolùm pro unâ vice, e.g. ſi hic & nunc, per quadrantẽ voveat ſe non admiſſurum diſtractionem plenè voluntariam, in meditatione, & ſic de alijs: ſic enim paulatim diſponet animam ſuam, ad uberiorem

riorem Spiritûs Sancti gratiam: non patietur namq; Deus ſe vinci liberalitate à creatura, votáq; hæc particularia promovebit ad univerſale votum non peccandi venialiter: quod, quid eſt aliud, quàm inchoatio vitæ cœleſtis, & quædã confirmatio in gratia. O vita S.! utinã ità detur vivere & placere digniſſimo Deo.

DIEI SECUNDÆ
MEDITATIO III.
De punitis, & puniri ſolitis à Deo peccatis.

Integrum, ea de re, habet S. Pater Exercitium primum, Hebdomadæ primæ, in quo expedit peccatum Angelorum, primorum Parentum, & quodlibet particulare.

Oratio præparat. & PRÆLUDIUM I. Idem quod Medit. 1. diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam ſancti timoris, & horroris peccatorum.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem: *Ezech. 5. Complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam in eis.* Hoc audiens, conſidera indignationem Domini, & ultionem ſuper Luciferum, ob unum peccatũ ſuperbiæ, ob quod corruit ſemel pro ſemper, totâ Divinitatis dexterâ percuſſus, & rudentibus inferni detractus. Conſidera quoq; pœnã primorum Parentum, ob eſum unius pomi, occaſione cujus impletur hucuſq; hominibus infernus. Pœnam Caini ob unum fratricidium,

in

in reprobum ſenſum dati, & tandem damnati, Pœnam Saul Regis, ob abjectum ſermonem Domini, à Domino abjecti. Ingredere præterea infernum cogitatione, & videbis ibi innumeros, propter unicum peccatum, æternaliter damnatos. Et non ediſces ex alieno malo, timere? Etiamſi non in Religione ſolùm, ſed in cœlo cum Lucifero eſſes, time: nec contemnendas putes, etiam minimas, Paradiſi tui, id eſt Religionis tuæ, prohibitiones, etiam circa eſum unius pomi.

II. Audi Deum dicentem: *Iſaiæ 5. Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum* Hoc eſt væ horrendum, ſeu formidanda pœna, quâ puniuntur peccatores, vinculum, ſeu colligatio impietatis, quando propter unum peccatum juſtè permittuntur prolabi in aliud, & rurſus propter hoc in aliud, donec perveniatur ad ultimã ruinam, & fiat peccatum eorum, peccans peccatum: quia enim ſemel peccârunt, reddiderũt ſe indignos ſpeciali auxilio, ad vitãdum aliud peccatum, atq; ſolâ ſufficienti gratiâ ſupernaturali inſtructi, illam ipſam inefficacẽ reddiderunt, miſerámque iniquitatis colligationem effecerunt, uſq; ad compedes, & catenas inferni. Hoc altè in cor demiſſo, procide coram Deo, & per viſcera miſericordiæ ejus petè, nè te puniat tali pœnâ, permiſſionis peccati: elige potiùs pœnam infernalem, quàm hanc permiſſionem.

III.

III. Audi Deum dicentem; *Iſaia 6. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava.* Hæc eſt maxima, & ultima pœna, quâ in hac vita puniuntur peccatores, Excæcatio, derelictio, ultima impœnitentia: dum per iterata liberè peccata, merentur privari ultimâ gratiâ efficaci ad pœnitendum. O pœnam, ad quam omnia omnium creaturarum corda immutentur! nónne immutaberis & tu, Religioſe?

COLLOQUIUM. Scio Domine Jeſu, quòd nolis mortem peccatoris, per eam ergo mortem quam pro peccatoribus miſericordiſſimè ſubiiſti, peto à te, nè punias me permiſſione peccati, & excæcatione cordis. Pretioſiſſima Dei Mater Maria, quæ peccatores non abhorres, averte à me infelicitatem iſtam, potiùs moriar, potiùs in inferno ardeam, quàm ut peccem. In fine, Pater, & Ave.

DIES TERTIA.

Pretioſiſſimæ DEI Parenti, Mariæ, conſecranda.

Actus ejaculatorius hujus diei erit iſte: Pater! peccavi in cœlum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus. *Lucæ 15.*

MEDITATIO I.

De comparatione Religioſi cum Filio prodigo.

Svadet S. P. adhibere Exempla, & veluti quaſdam comparationes, ad contemptum noſtri

Petri inducentes, dum ait; *Exercit.5.p.3. Tertium eſt, conſiderare meipſum, quiſnam, aut qualis ſim, additis exemplis, quæ me in majorem mei contemptum trahant.*

Oratio præparat: & PRÆLUD. I. Idem, quod Meditatione primâ, diei primæ.

PRÆLUD. II. Pete à Deo gratiam, redeundi cum filio prodigo in gratiam ejus.

PUNCTUM I. Audi relatam à Chriſto Domino, Hiſtoriam de Filio prodigo, *Lucæ* 15. qui acceptâ portione Subſtantiæ hæreditariæ, & charum Parentem, & domum opulẽtam deſerens, abiit in regionem longinquam, frena cupiditatibus laxavit, & omnia abligurivit; cum dedecore inprimis Patris ſui, deinde cum ingenti damno, & extrema pauperie ſua. Audiens hiſtoriam hanc, agnoſce in ea te eſſe adumbratum: per ingreſſum Religionis, factus es ſpecialiter Filius magni Patris, Domini Dei, frater autem JEſu Chriſti; accepiſti jus ad cœleſtem hæreditatem propterea, quia reliqueras omnia; dedit tibi Pater cœleſtis portionem ſubſtantiæ, tot nempe dona ſupernaturalia, præſertim donum Religioſi fervoris, promptitudinis ad ſerviendum Deo, contemptûs ſpecialis omnium vanitatum, atque obſervantiæ omnium Regularum, &c. Tu autem quid? dum adhuc eſſes parvulus, Novitius, vivebas ferventer tanquã Angelus; ſed vix ad Collegia, ad ſtudia es egreſſus, & ecce, ab illo fervore, devotione;

ne, Religioſitate, longè abiiſti, ſæculariſmum didiciſti, & forte gratiā Dei (conſule conſcientiam) dilapidâſti; vanitatibus, & ſpecioſitatib⁹ adhæſiſti; videri, audiri, laudari appetens, contemptū fugiēs. O mi Religioſe, quò deveniſti?

II. Audi continuationem hujus Hiſtoriæ: devenerat ille Filius ad tantas anguſtias, ut paſceret porcos, & cuperet ſatiari de ſiliquis eorum, ſed à porcis ipſis repellebatur. Interim venit illi in mentē paterna domus, venit in mentem optimus Pater, tum ille lacrymabundus: quanti, inquit, mercenarii, in domo Patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo! Vadam ad Patrem meum, & dicam: Pater! peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Audiens hæc, vide, te eſſe expreſſum: eò miſer deveniſti, ut tibi ſubtraxerit Deus conſolationes, tanquā cibos ſpirituales, nec ſentias guſtum in meditationibus, & examinib⁹, emendicéſq; ſolatiola à creaturis, cōverſando cum externis, curioſitati indulgendo, &c. ità, ut ipſis externis exoſus ſis. Ah! ſis utinam felix, ſicut filius prodigus! utinam velis reverti ad patrem tuum! apud quem homines ſæculares, habent quo alantur ad vitam æternam: redi ergo, redi ad Novitiaticos fervores. proijce ſiliquas, relinque porcos &c.

III. Audi ex ore Chriſti finem hujus Hiſtoriæ, quomodo Filium hunc prodigum reducem

ducem Pater ſuſceperit, amplexatus ſit, vitulô ſaginatô, cum amicis, tractaverit. Audiens hæc concipe ſpem inconcuſſam de bonitate Patris cœleſtis, te quoque reducem recepturi peramanter, & oblivioni daturi ineptias tuas, ſi ſeriò revertaris. Vide, à quibus regulis receſſiſti, quæ occaſiones eò te deduxerunt, & ad ſingula corrigenda animum obfirma.

Colloquium inſtitue inprimis ad Patrem cœleſtem: Pater! peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari Filius tuus, peccavi in cœlum religioſum, in quo me poſuiſti. Dignus eram, ut me ingratum inutilem, probrum Religionis, ab ea ejiceres. Sed, bonitas tua vicit malitiam meam: redeo igitur ad te, ſuſcipe me, mi Pater!

Deinde ad S. P. Ignatium, à quo pete, ut te iterum adnumeret Filijs ſuis, tanquam renatum, & nunc primùm Deo, & Religioni vivere incipientem. In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

DOCTRINA PRACTICA

Tempore matutino, diei tertiæ relegenda.

De quotidiano Exercitio Humilitatis.

I. TAnti eſt coram Deo Exercitium hoc, ut juxta revelationem, factam S Magdalenæ de Pazis, per S Joannem Evangeliſtam, Anima quæ in ſe perfectionem habuerit Humilitatis, facillimè poſſeſſura ſit amorem Dei,

 abſque

abſque eo quòd aliud Exercitium adhibeat,a
eum obtinendũ : & nunquam inveniatur co
humanum plenum humilitate,quin ſit plenu
amore Dei,ùt in vita hujus Sanctæ 4. *p. ca*
106. Et ratio hujus veritatis eſt : quia amo
Dei ex appretiatione Dei ſuper omnia prove-
nit ; appretiatio autem Dei ſuper omnia, im-
portat depretiationem rerum omnium, pro
indéq; immo maximè, ſuiipſius,reſpectu Dei
depretiatio autẽ ſuiipſius,eſt actus humilitatis

2. Exercitium humilitatis, eſt initium, &
cauſa quædam omnis boni noſtri ſupernatu-
ralis:nam, ùt affirmat S. Bernardus ; *ſerm: ſu-
pra Miſſus eſt :* B. Virgo, Humilitate Filium
Dei concepit ; è conceptione autem & Incar-
natione Fili Dei omne noſtrum bonum pro-
fluxit. Humilitas cœlum reſeravit,quod ſu-
perbia occluſerat, dum humiliavit ſemetipſum
Dominus Jeſus, formam ſervi accipiens.

3. Tota vita Chiſti, non aliud, nisì perpe-
tuum Exercitium Humilitatis fuit. Natus ex
humillima Matre, Fabri Sponſa, natus in præ-
ſepio, inter duo animalia : in Ægypto latuit,
poſtmodum in ea Urbecula,de qua dicebatur :
à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe ? quos de-
inde non pertulit contemtus, uſque ad igno-
minioſam Crucem : in qua humilitatis exer-
citium exaltavit.

4. Vita Religioſa, nihil aliud eſt, nisì per-
petuum humilitatis Exercitium: Nemo enim
ſit

fit verè Religioſus, niſi motivo humilitatis contemnens mundum, ſpes ejus, contemnens commoda carnis ſuæ, contemnens ſe totum, & prælationi, voluntatíque alienæ ſe ſubdens. Atque ità gratia Vocationis innexa eſt gratiæ humilitatis, támque diu durat, quàm diu humilitas durat: poſtquam autem Religioſus ab humilitate ultro defecerit, eum à gratia, amoréque Vocationis deficere, Religionem deſerere, & caſtra ſuperbi diaboli ſequi, neceſſe eſt. Sicut non eſt extruſus è cœlo, niſi ſuperbus Lucifer; ità non ejicitur è Religione niſi ſuperbus homo, & lucem, ſibi indebitã, affectãs.

5. Proficere in via Dei, eſt poficere in humilitate: hunc enim profectum conſequitur profectus in omnibus virtutibus: quod ipſum, & facto, & verbo docuit Filius DEI: factô, quia cùm vellet proficere, elegit humilitatem, & cùm non haberet quidquam in ſe, ratione cujus vilis appareret, & reputaretur, nactus eſt id in aſſumpta humana natura, in qua eò redactus eſt, ut reputaretur vermis & non homo. Verbô, dum dixit: diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

6. Exercitio humilitatis, principaliter glorificatur Deus; oſtendit hoc toti terrarum Orbi Filius Dei, qui ut glorificaret Patrem, immenſitatem ſuam coarctavit ad ſtaturam humanam: æternos ſplendores ſuos, opacitate uteri virginalis obumbravit; omnipotentiam, ad imbecillitatem infantis redegit; formam

Digitized by Google

exinanivit. Erras igitur, Religioſe, ſi gloriam Dei, per gloriam tui promovendam putas: elige obſcurum, & clarificabis Deum.

7. Menſura ſanctitatis eſt menſura humiliationis; quia tantò aliquis eſt ſanctior, quãtò magìs accedit ad imitationem Chriſti, Sancti Sanctorum: qui cùm à ſe addiſci velit humilitatem, quantò aliquis ad hanc acceſſerit, tantò ſanctior fiet.

Eò igitur, Religioſe, omnes conatus tuos confer, ut quotidie te humiliando exerceas, quod fiet his modis:

Modi Humiliationum Cordis.

1. REputare ſe conſpectu Dei indigniſſimũ, nullo ejus dono dignum; & probrum Dei. Habuit tales actus humiliationis P. Ferdinandus Crendelius, frequentiſſimè de die volvens, verba hæc, ex Formula Votorum: Divino tuo conſpectu indigniſſimus. Tempus talium actuum eſt Meditatio, Examina, &c.

2. Reputare ſe indignum conſortio omniũ hominum. De S. Franciſco Borgia narrare ſolebat P. Gregorius Bavarus, quòd ille, cùm in Hiſpania tranſiret officinas Sartorum, & Sutorum, timuerit, nè ab illis ob peccata ſua interficeretur. Tempus hujus actûs, quælibet eſt converſatio cum hominibus.

3. Ponere ſeipſum infra damnatos, infra omnes creaturas, & in ipſo nihili centro. Eò de-

deſcenderat prædictus S. Franciſcus Borgia, conqueſtus in quadam exhortatione, die Cœnæ Domini ad Fratres habita, quòd eum Chriſtus ex loco ſceleſtorũ pedum Judæ, ſub quibus ſe ille collocabat, depuliſſet. Tempus hujus actûs eſt potiſſimùm, dicendo Confiteor, in Sacro, &c.

4. In contemptibus, & depreſſionibus omnis generis gaudere, perinde atq; lapis dum deprimitur, & in infimo loco ponitur, quodammodo gaudet; quia centro ſuo proprior eſt, centrũ autem tuum, religioſe, nihilum eſt.

5. Triſtari de omni æſtimatione ac honore ſibi exhibito, ità, ſicut lapis non eſt contentus, dum ſublimi lolo collocatur.

6. Odiſſe ſeipſum plus quàm dæmonem: quia homo dum peccat voluntariè, magis ſibi nocet, quàm dæmon. Unde licèt ex doctrina Chriſti teneatur inimicos diligere; quia tamen ſibi ipſi eſt plùs, quàm inimicus, ideo ſeipſum poteſt, & debet, quoad hoc, odiſſe. Temp⁹ huj⁹ actûs aliciendi eſt præparatio ad Confeſſionẽ.

7. Non credere ſibi ipſi, ſéque ipſum habere ſuſpectum, tanquam furem & latronem ſibiipſi; & quòd non lædatur niſi ſeipſô, juxta S. Chryſoſtomum.

8. Oblíviſci ſuiipſius, in nullóque ſeipſum ſpectare, nullas ſpecioſitates exoptare; ſed omnia viliſſima appetere: quid enim debetur ei, qui ex ſe nihil eſt, nihil ſcit, nihil poteſt?

Modi humiliationum Oris.

1. VOcibus, nominibúſque ſeipſum compellare abjectiſſimis: ſic David compellabat ſe canem mortuum. 1 *Reg.* 24.

2. Accuſare ſeipſum coram Deo, ſuperioribus, & æqualibus: *Iuſtus enim eſt accuſator ſui Prov.* 18.

3. Silentium regidè obſervare: ex hoc motivo, quod ſis indignus, alios alloqui.

4. Loqui ſubmiſſâ voce, niſi neceſſitas aliud exigat. Submiſſa enim vox, eſt teſtimonium ſubmiſſi animi.

5. Nihil in laudem & æſtimationem propriam, etiam occaſionaliter, proferre, niſi id gloria Dei exigat; quam ſolam in dictis ſuis ſpectabat Chriſtus.

6. De nullo conqueri, nulli contradicere, niſi æquitas exigat; cum nullo diſputare, niſi ex officio neceſſe ſit, interdum etiam obticeſcere cum rubore: iſte enim eſt Spiritus Chriſti, de quo Propheta: Non aperiet os ſuum c. 53.

Modi Humiliationum Operis

1. AVidè arripere & obire humilia obſequia & juxta Prophetam, jumenti inſtar eſſe. *Pſal.* 72.

2. Omnes honore prævenire, juxta præſcriptum S. P. Noſtri: & imprimis Apoſtoli. *ad Rom.* 12.

3. Mitem in omnibus eſſe, manſuetum & tra-

tractabilem, juxta illud Christi: Diſcite à me, quia mitis ſum, *Matt.* 11.

4. Ad docendos rudes & pueros ſe offerre, juxta illud Christi: *Sinite parvulos venire ad me, Matt.* 10. Sic P. Melchior Vitrimontanus Grammaticam ſolam docuit, 20. annis. P. Joannes Alphonſus, eandem 21. annis P Ildefonſus Munez, 26. annis. P. Hieronymus de Rugoza, docuit eandem Hiſpali 36 annis: ut perhibent Annuæ noſtræ Societatis.

5. Ex affectu latendi, cubiculo raró & nonniſi juſta de cauſa exire: an enim Chriſtus, ipſa lux, in cubiculo Nazarethana non latuit?

6. Non faceſſere ullam difficultatem ſuperioribus in regimine ſui: Sicut Chriſtus Præſidib⁹ etiam impijs nullam fecit difficultatem.

Concludo doctrinam hanc dictô, quo vitam concluſit ſuam, P. Sebaſtianus Barradius, Comentarijs in Sacram Scripturam clarus, ſed humilitate clarior, qui ante mortem, monitus à ſuo Superiore, ut aliquam doctrinam circūſtantibus relinqueret, præmortuam vocem ad obedientiam elevans, dixit: Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis Nihil aliud ſupereſt conſilij, ſimus omnes impensè humiles, Chriſtum Dominum noſtrum imitati, qui totâ vitâ ſuâ, unam à ſe diſci voluit humilitatem, & inclinato capite tradidit ſpir: ità ille. Quib⁹ dictis, paulò pòſt, & ipſe exſpiravit, Conimbricæ 1615. 14. Aprilis.

DIEI TERTIÆ
MEDITATIO II.
Continens confuſionem Religioſi coram DEO.

Confuſionem ſuiipſius, curæ eſſe debere ei, qui peragit Exercitia ſpiritualia, innuit *S. Pat.r Hebd.* 1. Exerc. 1. *Prælud.* 2. *his verbis; In præſenti Meditatione, pudorem, confuſionémque mei debeo expoſcere.*

Oratio præparat: & PRÆLUDIUM I. Idem, quod Meditatione prima, diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam confuſionis, & pœnitudinis ſupernaturalis.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem; *Ierem.* 11. *Quid eſt, quod dilectus meus, in domo mea, fecit ſcelera multa?* Hoc audiens, revoca in memoriam, aliqua peccata tua notabiliora in Religione commiſſa, & confundere coram Deo ideo, 1. Quia in domo Dei, velut in Sacrario manens, ea commiſiſti. 2. Quia in tanta occaſionum farragine ad bonum, malus extitiſti: in medio ignis congelatus es, in medio maris non humefactus. 3. Quia tot beneficijs à Deo præventus, ingratiſſimus exſtitiſti. 4. Quia offendendo DEUM præbuiſti diabolo occaſionem, ſpecialiter lætandi, quòd Deus ſit offenſus à te ſervo, amico, & filio DEI. Confundere igitur, dole, & corrige.

II. Audi Deum dicentem; *Quid eſt, quod de-*

debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? *Iſaiæ* 5. Vide, Religioſe, infructoſitatem tuam, & confundere. 1. Quia tu es ager ille, per quē dicit ſe tranſiſſe Salomon, quem totum repleverant urticæ: tui mores, urticæ ſunt, tribuli ſunt, ſpinæ ſunt. O ager, circa quem ipſe Fili⁹ Dei deſudavit! & quando tandem fructuoſus eris Deo tuo? 2. Quia tu es arbor illa, in terra bona plantata, gratiæ divinæ fluentis irrorata, quæ tamen fruſtrà terram occupat, & tamdiu operam Domini ſui ludit. Ah! quid exſpectas ô arbor, an ut ſecuris ad radicem ponatur? 3. Quia tu es Corrozaim illa; tu Bethſaida, tu Capharnaum: quia ſi in Tyro, & Sidone, ſi alicui Etnico id feciſſet Deus, quòd tibi fecit, ô in quàm ſanctum evaſiſſet! Confundere igitur, & defle infructuoſitatem tuam, ac tandem fac dignos fructus pœnitentiæ, aliarúmque virtutum.

III. Audi Deum dicentem; *Eccl.* 4. *Fili, conſerva tempus.* Tantum jam temporis, miſerè perdidiſti, quo poteras æternitatem lucrari; tempore æſtatis, pro hieme mortis, nihil collegiſti; tempore negotiationis nihil lucratus es: tempore nundinarum nihil emiſti. Perdidiſti tempus. quod ſemel perditum, æternùm perditum eſt. Non redibunt ampliùs illæ meditationes, illæ communiones negligenter peractæ; & ſi compenſare velis, non compenſabis illas ipſas: potes habere aliud tempus, a-

lias Meditationes, &c. Sed priores non revocabis. Ergo dum adhuc tempus habes, operare, rediméque tempus fervore, & conatu novo.

Colloquium. Quouſque deludam labores tuos cœleſtis agricola, ego ager nequam? quouſque tolerabis infructuoſitatem meam? quouſque rorem tuum fruſtra bibam? quouſque impenſas tuas in vanum conſumam? tandem, ah! tandem ſit finis infructuoſitatis meæ! &c. In fine, Pater, & Ave.

HORA CONSIDERATIONIS, Tempore pomeridiano diei tertiæ.

De fontibus quotidianorum defectuum.

Apparens vice quadam Sanctæ Brigittæ pretioſiſſima Dei Mater, docuit illam; quòd non propter aliquid aliud, Homo in mundo vivere debeat, niſi ut Deo faciat honorem, & minuat peccata. Hæc doctrina Matris æternæ Sapientiæ, cordi debet eſſe Religioſo. Satagat igitur quotidie minuere defectus, qui cùm innumeri ſint, perdifficile eſt, contra omnes ſimul pugnare, ideóque ad fontes eorum recurrendum eſt, ut ijs, per divinam gratiam obſtructis, vitioſi rivi deſiccentur. Sunt ergo fontes hi:

1. Defectus intentionis, ſeu intentio, vel nulla, vel frigida, vel non pura, ſed permiſta quæſitioni propriorum commodorum, vel vitiata interventu intentionis pravæ, &c. Ex hoc fon-

te

te tantum mali promanat, ut etiam ipſa opera, aliàs in ſe bona, non bona, non Deo placita, non meritoria, ſed prorsꝰ vitioſa reddātur; plurimorum autem bonorum jactura fiat: quod unus è noſtris, Vilnæ mortuus, alteriq; Patri poſt mortem compárens, recognovit tali pronuntiato: ô Pater, quàm magna & multa recipéremus, ſi omnia rectâ intentione faceremus!

2. Oblivio Dei præſentis, quam pro cauſa peccatorum aſſignat divinus Pſaltes, dum ait: *Pſal. 9 Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Quod S. Baſilius in Reg. defectibus religioſorum ſic accommodat: cujus animus temerè evagatur, otióq; ſe dat? quis frequenter iraſcitur? quis humanas laudes avidè captat? quis ad opera ſpiritualia piger eſt? quis actiones ſuas ad DEI gloriam non refert? quis inter orandum mente diſtrahitur? qui non ſemper cogitat, Deum cogitationum, & actionum ſuarum Inſpectorem eſſe; hæc ille. Obſtrue igitur Religioſe fontem hunc tot peccatorum, oblivionē præſentis Dei, *& ambula coram Deo Gen.* 17 ſeu ùt Hebr. legit. *vive coram Deo, & eſto perfectus.* imitare animalia illa myſterioſa *Ezech.* 2. quæ erant plena oculis, antè, & retro; nempe habentia oculos in manibus, oculos in auribꝰ: oculos in labijs, oculos in pedibus, plena oculis, intus & foris; ut nimirum neque videas, neque audias, neque loquaris, neque cogites,

neque greſſum dirigas, neque quidquam aliud opereris; nisì dignum conſpectu Dei, & in conſpectu Dei.

3. Diſſimulatio gratiarum Dei excitantium ſeu prævenientium, ordinatarum à Deo, ad vitandas imperfectiones: diſſimulatio inquam, vel dilatio partim ex puſillanimitate, partim ob fugam moleſtiæ alicujus, partim ob reſpectus humanos. Hæc diſſimulatio, & dilatio, eſt fons omnis mali: Quia enim, juxta Tridentinum, *Seſſ 6 cap.* 16. Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera, ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur. Quia inquam, hæ excitantes, ſeu antecedentes gratiæ à Chriſto in palmites derivantur; non poteſt eſſe palmes vivæ vitis ſinè hoc influxu gratiarum excitantium, proinde indies areſcet, excídetur, & in ignem mittetur. Si non vis, religioſe, æternùm indormire, excitanti quotidie Deo morigerum te præbe.

4. Neglectus ordinis, temporum, & actionum; ex quo oritur conjectio ſui cum actione Deum concernente, (e.g. Meditatione, Examine, &c.) in anguſtias temporis: hinc feſtinatio, præcipitatio, & expeditio levi brachio, interdúmque omiſſio: quod quàm damnoſum ſit, inde colligi poteſt; quia interdum Deus alligat alicui tempori, & actioni gratias, cum finali

nali gratia connexas; atque ità neglexiſſe tempus, & actionem illam, eſt, perdidiſſe gratias illas, & conſequenter gratiam ultimam.

5. Languor mentis, & tepiditas quædam nondum in gradu ultimo, nauſeam Deo excitante: Languorem hunc eſſe fontem defectuum, ſeu infirmitatum animæ, judicari poteſt ex languore corporis; cum hoc diſcrimine: quia languor corporis, eſt ſignum, & effectus infirmitatum corporis: eſt enim defectio virium, ob diſtemperationem caloris, frigoris; &c. languor autem animæ, eſt cauſa infirmitatum animæ; nam eſt diminutio caloris, ſeu fervoris, per quem anima in ſtatu competenti coram Deo ſubſiſtebat: quanquam invenitur languor animæ, qui eſt effectus infirmitatum animæ, ſeu peccatorum, ſed iſte coincidit cum tepiditate, inducente Deum ad hoc, ut ejiciat hominem, tanquam deteſtabilem, juxta illud *Apoc. 3. Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

6. Defectus ſilentij: qui hoc efficit in Religioſo, ut ejus vana ſit religio, juxta S. Jacobum, *cap.* 5. ut non poſſit non peccare: *Nam in multiloquio non deerit peccatum*: ùt facilè ſuperetur à diabolo: Sicut enim Urbs patens, & abſque murorum ambitu; ità vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Ut denique non juſtificetur: Nam, *nunquam vir linguoſus juſtificabitur. Iob.* 11. atque ùt S.

Digitized by Google

Gregorius *lib.* 10 *Moral* *cap.* 2. hunc locum expendens, ait; cadet in eum illa maledictio: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas.*

7. Reſpectus, & rationes humanæ, ſperantes, timentes, differentes, diſſimulantes: amicitiæ item, dulciter perſvadentes violationem Regularum, & ſanctarum conſvetudinum, jacturam temporis, &c. Per hos reſpectus interdum deſpicitur Deus, hæ rationes; rectam rationem pervertunt; ſpes iſtæ, cum ſpe in Deum, timores hi, cum timore Dei, ſtare non poſſunt perſæpe: amicitiæ ejuſmodi plerumque inimicæ ſunt Deo. Si vis ergo, Religioſe, ut te & munera tua reſpiciat Deus, reſpectibus humanis noli laborare.

8. Reſpectus & quæſitio ſuiipſius, bonorúmq; propriorum, tam apud homines, quàm apud Deum. Ex hoc fonte omnes ferme defectus profluunt tam in hominibus ſæcularibus, quàm in religioſis: quæſitione ſuiipſius perierunt tot milliones Angelorum, qui Luciferum ſunt ſecuti; quæſitione ſuiipſius perijt genus humanum; quæſitione ſuiipſius amittitur Deus, & infernus impletur animabus. Religioſe, ſi credis Chriſto, & ſi es diſcipulus ejus, perde te, & invenies te.

9. Inconſtantia animi, quoad propoſitorum deſertionem, quoad obſervationem temporũ & actionum, privatarúmq; devotionum. Per talem inconſtantiam plerique eo deveniunt, ut

Deus

Deus ijs deneget gratiam perſeverantiæ. Time igitur illam, ſi times interitum.

10. Non evitatio occaſionum, quoad perſonas, tempora loca, materias, circumſtantias, in quibus experientia docuit, commiſſos eſſe defectus: Non evitare occaſiones, eſt, velle occaſum animæ.

11. Negligens præparatio ad Meditationes: hanc negligentiam arbitror ego eſſe fontem omnium defectuum quotidianorum in Noſtris: ex negligentia enim hac ſequitur mala Meditatio, ex malitia Meditationis, malitia omnium actionum per diem. Plus dicere ſolebat P. Paulus Kuhn, eximiæ Vir religioſitatis & doctrinæ in Provincia noſtra, ſe experientiâ didiciſſe, quòd nemo Societatem noſtram deſeruerit, niſi qui priùs Meditationem neglexiſſet.

12. Negligens cuſtodia ſenſuum, viſûs, auditûs, &c. etiam in Religioſis per has feneſtras, non tantùm defectus, ſed & mors aſcendit. Non putet Religioſus ſe tutum fore à diabolo, quia eſt ſub clauſura, ſi clauſuram ſenſuum ſuorum non adhibuerit. Nec porta religioſa bene obſerata proderit ipſi, niſi portam ſenſuum firmiſſimè muniverit.

DIEI TERTIÆ MEDITATIO III.

De malitia Tepiditatis, Religioſis maximè cavenda.

Me-

Digitized by Google

Meminit illius S. Pater, in ſuis exercitijs, ad motus animæ diſcernendos, his verbis: cauſæ deſolationis tres ſunt præcipuæ; prima, quia propter noſtram, in Spiritualibus ſtudijs, ſeu Exercitijs tepiditatem, atque acediam, conſolatione divinâ meritò privamur, &c.

Oratio præparat: & PRÆLUDIUM I. Idem quod Medit: 1. diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, vitandi periculoſiſſimam, in vita ſpirituali, tepiditatem.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem:
3. *Ierem. cap. 48. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Alij legunt; *negligenter.* Hoc audiens conſidera, ſpecialem quandam maledictionem, præ alijs vitijs, tepiditati adnexam eſſe: quia tepiditas, ipſa bona intrinſecè quodammodo in malum vertit, & ſic ipſa viſcera bonitatis divinæ, bonis actibus iñexæ, intrinſecè lædit: alia peccata in eo ſunt, quòd homo mala agat; ſed tepiditas facit hoc, ut homo non mala, ſed bona agendo, malè agat, & ipſa actione actionem deſtruat; non ità ſicut vana gloria, aliiq; fines mali extrinſecè tantùm bona vitiantes. Atq; ità tepidus continuè peccat. nam etiam bona agendo, orando, Miſſam celebrado, &c. peccat: quô quid malitioſius? hinc tepiditas, eſt peccatum peccatorum, mors meritorum, pulvinar diaboli, exitium omnis boni, infernus vivorum, imitatio diaboli, gra-

tiæ

tiæ d'vinæ venenum, contriſtatio Spiritûs Sancti. An non exhorreſces ad hæc omnia, & non deteſtaberis tepiditatem?

II. Audi Deum dicentem: *Eccleſ.* 10. *In pigritijs humiliabitur contignatio.* Hebræus legit: inclinabitur, corruet. Et conſidera mala, quæ pigritia, ſeu tepiditas infert animæ, & fabricæ, quam in ea ædificat Deus. 1. tepidus tentatur frequentiùs, impetitúrq; ab hoſtibus, tanquam civitas ſinè ulla munitione. 2. Vincitur crebriùs, utpote evanida reddens auxilia Dei. 3. Surgit tardiùs, & ægriùs, tanquam paralyſi tactus: 4. Sanatur difficiliùs, & periculoſiùs, quia tepidorum medicina non eſt nisi gravis ruina. 5. Relabitur impotentiùs, tanquam aſſvetus morbo. 6. Viſitatur rariùs à Deo, in cujus obſequio nauſeat. 7. Cadit graviùs, motû vitali deſtitutus, inſtar plumbi. 8. Moritur timidiùs, utpote à Deo evomendus. 9. Salvatur difficiliùs, quia ſalutis opera tam tepidè eſt operatus. 10. Damnatur certiùs, perinde, atque lethargici dormiendo moriuntur, tanquam cadaver. 11. Properat ad infernũ acceleratiùs, quia ante mortem, damnatorum pœnam habet, dum more eorum, bonum odit. 13 mergitur in inferno profundiùs, dum in tanta occaſione bonorum damnatur. Trigris te nutrivit; religioſe, ſi his non moveris ad excutiendã tepiditatem, & ferventer ſerviendum DEO.

III. Audi Chriſtum Dominum dicentem:

Matt.

Matt 7. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Hoc audiens, conſidera fructus, ſeu effectus tepiditatis tuæ, enumeratos à Patre Claudio, in Epiſt. de Renov. Spiritûs; ſuntq; hi: 1 Orare ac meditari divina, ſinè ſenſu animi, & fructu. 2. Ægre ſe colligere,& ad cor redire. 3. Cogitata, dicta factáque ſua, ſinè pudore, ac propoſito emendationis, curſim examinare. In res externas libenter effundi, idque non proximi juvandi cauſâ, ſed tædij vitandi 5. Solatiola à reb⁹ creatis cupidiùs emendicare. 6. Liberiùs obloqui, & aliena dicta, ac facta carpere. 7. Religionis diſciplinam, ſvavem olim ac levem, iniquo animo ferre. 8. Ad otium adſpirare 9. In animarum zelo languere. 10 Ægre, tardè, repugnanter obtemperare. 11. Honorificè ab omnibus, indulgentérque tractari velle. 12. Imunitates & commoda ſingularia poſtulare. 13 In animum inducere, ſe laborare plus æquô, nihílque eſſe, quod non ſibi debeatur. Vide hos infelices fructus tepiditatis tuæ, deteſtare illos, & corrige:

Colloquium. O ignis qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! ô amor qui nunquam vinceris, vince teporem meum! Heu mihi, quia ad ignem algeo! & in ſole tenebreſco! ignem comedo, dum te Domine Jeſu manduco, & tepeo! ah ſit tandem finis teporis mei!

In fine, dic Pater, & Ave.

DIES

DIES QUARTA,

Sancto Angelo Cuſtodi conſecranda.

Actus ejaculatorius hujus diei erit iſte; *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ad Philippenſ.* 1.

MEDITATIO I.

De Morte.

Eam, tempore Exercitiorum Spiritualium, in conſideratione eſſe debere, innuit S. Pater, in Regulis bene eligendi, dum ait: *Si mors ingrueret, quem me mallem obſervâſſe modum?*

Oratio præparatoria, & Præludium I. idem quod in prima Medit: Diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Audi Deum dicentem; *Iſaiæ* 38. *Morieris tu, & non vives.* Morieris infallibiliter; ſed quando, in quo loco, in quo ſtatu, in qua animæ diſpoſitione, volo te latére, ut ità te diſponas, ac ſi hodie, hoc momento eſſes moriturus. Morieris, ampliùs ad vitam non revocandus, niſi in die judicij, nè ergo in tali caſu unico exerres, vide. Morieris, & dum tibi mors oculos claudet corporeos, aperiet oculos animæ. Videbis in morte aliter omnia, quàm nunc vides & judicas. Diſce ergo ſic æſtimare res, acſi morituriens eſſes. Morieris, ſpoliatus omnibus, ſolis æternitatis lucris in toto & tuto manentibus. Morieris, & cadaver fies exoſum omnibus: quid ergo nunc hominibus placere vis? ô vanitas! ô cæcitas!

II. Audi dicentem Deum. *Pſal.* 33. *Mors pec-*

Digitized by Google

peccatorum peſſima. Et conſidera conditionem hominis, in peccato morientis. Nam 1. ſentiens dolores, dupliciter cruciatur; & in corpore, dũ illos ſuſtinere cogitur; & in animo, dum illos impatienter fert. 2. Ex omni parte anguſtias patitur; conjiciens in Cœlum oculos, iratum ſibi videt Deum; retro reſpectans, ad intuitum plurimorum dæmonum animæ ipſius inhiantium, exhorreſcit: deorſum flectens lumina, videt paratas inferni fauces: ante ſe videt ſeverum Chriſtum, cujus conculcavit ſanguinẽ: intus mordacem Conſcientiæ vermem ſentit. Si fortè horologium ſonat, tali cor ejus pulſatur ſono; *tempus non erit ampliùs.* Si ſpectat collectanea ſua, dicitur illi: Et hæc quæ parâſti, cujus erunt? ac tandem in deſperatione poſitus, animam dæmonibus, quibus obtemperavit in vita, relinquit. Ecce, ne tali morte moriaris, Deus tibi gratiam dare paratus eſt. Vide ergo, ut vivas Deo, ſi vis mori Deo.

III. Audi DEUM dicentem; per Pſalmiſtam. *Pſ. 115. Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus.* Pretioſa, 1. quia dolores, quos ſentiunt, voluntate Dei, & morte Chriſti dulcorant. 2. quia mortem naturaliter horribilem ſecurè exſpectant, & tanquam vitæ januam exoptant, ut tandem Deo fruantur. 3. quia ſi vident dæmones, eos non verentur, quos ſuffulti à Deo, toties vicerunt. 4. quia deſerere mundum non eſt illis grave, qui pridem illum

Digitized by Google

lum jam deſeruerunt. 5. quia vident interdum B. V. vel alios Sanctos Patronos, quibus ſpecialiter addicti erant. 6. quia in actibus Fidei, Spei, Charitatis, deſiderij videndi Deum, moriuntur. Ecce, tali morte mori potes, immo debes, religioſe: ità ergo vive, ut ſic moriaris

COLLOQUIUM. JESU mi, mi JESU agonizans, in cruce, pro me: indigniſſimus quidem ſum Spiritu tuo: quia tamen ponis animam tuam pro me, peto à te, ut tibi conformis moriar: immitte in cor meum, ultimum Spiritum tuum, & vivifica illo miſeram animam meam. O Jeſu mi, agonizans pro me!

In fine, Pater, & Ave. & Anima Chriſti, &c.

DOCTRINA PRACTICA

Tempore Matutino, diei quartæ, relegenda.

De tempeſtiva præparatione ad mortem.

QUamvis à nonnullis Viris aſceticis, ità deſcribatur religioſus: Religioſus eſt anima mœrens, ac dolens, indeſinenti mortis memoriâ: nihilominus tamen videre perſæpe eſt, Religioſos, non uſque adeò ad mortem, prout pareat, paratos mori: neceſſe igitur eſt, Religioſum, mortis ſuæ horam, cum debito animæ apparamento præſtolari: apparamenta autem hæc poſſunt eſſe.

1. Habeat Religioſus ſingularem affectum, erga pretioſiſſimam Dei Matrem, quotidiéq; eam

eam peculiari cultu veneretur, ad impetran-dam, per eam, felicem mortem; potiſſimù verò, quotieſcunq; eam ſalutat, cum reflexio-ne, & affectu proferat illa verba: Sancta Ma-ria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Cultum hu-jus Matris Dei, eſſe ſolatio in morte, probavit, F. Joannes à Campis Montenſis, Deiparæ devo-tiſſimus: ejus enim Roſarium pepetuò volve-bat manibus, ejuſdem Officium quotidie cum 5. Pſalmis, qui litteris Sanctiſſimi ejus Nominis reſpondent, recitabat; ſingulis Sabba-tis, ad Novitios, cum quibus diu habitavit, ſe conferebat, eiſque Hiſtoriam aliquã de Deipara narrabat. Ille ergo ſub mortem, inſvetâ lætitia perfuſus, Patri cuidam dixit: O ſi nôſſes Pater mi, quantum in morte adferat ſolatium, Dei-param ſingulari ſtudio coluiſſe! *Annua Coll. Torn.* 1601. Nec morti ſolùm noſtræ favet Pa-rens vitæ, ſed etiam poſt mortem curam no-ſtri gerit: apparens enim Patri Hieronymo Carvalio dixit; magnam ſe gerere curam, pro hominibus Societatis vitâ functis, ut è Purga-torio liberentur. *P Nieremb: de Amor B, V. c 12.*

2. Deligat Religioſus aliquod tempus, ſin-gulis hebdomadis. e g die Dominico, vel alio Feſto, quo non interveniunt complures oc cu-pationes, & eo tempore, ſegregatus ab omni converſatione, in Templo, vel alio loco, ità ſe-cum diſquirat; ſi mihi nunc moriendum eſſet,

quô

qvô animô, quâ præparatione moreret? éſtne aliquid, quod tunc conſcientiam gravaret? & ſi quid ejuſmodi repererit, doleat, emendationem proponat, & pro confeſſione, non differenda, adnotet.

3. Singulas ſacras Communiones, per modum Viatici ſumat, & cum eis actibus, quos ſumendo Viaticum exerceret: quis enim nos meliùs, ad adventum Chriſti, Judicis noſtri, in morte, præparare poteſt, quàm ipſe Judex, qui nunc eſt cibus noſter, & quem qui manducat, vivet in æternum.

4. Quales Virtutum actus, exerceri ſolent cum moribundis, & quales in extremo agone elicere vellet, eorum in vita habitum contrahat: tales ſunt actus, Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Fiduciæ erga B V. reſignationis in divinam voluntatem, deſiderij videndi Deum, &c In his igitur actibus frequentandis habitum in vita contrahat, fiétque ut ei morienti, actus ijdem in mentem recurrant: ſicut enim umbra correſpondet rebus, quarum eſt umbra, ità actus mortis, correſpondent plerumque actibus vitæ: & ſicut percutitur hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei: ità hac miſericordiâ præmiatur juſtus, ut moriens recordetur Dei, qui vivens oblitus eſt ſui, ut eſſet per frequentes actus memor Dei.

5. Præter pretioſiſſimam Dei Matrem, eli-

gat

gat alios etiam Patronos mortis ſuæ, quos eo fine quotidie colat, iiſque mortem ſuam commendet. Ex his Patronis ſit S. Michaël Archangelus, itémq; S. Angelus Cuſtos proprius in cujus honorem deſtinet, æternóq; jure illi inſcribat, (ſalvâ inſcriptione animabus Purgatorij) omnes actus amoris Dei, quoſcunq; totâ vitâ eliciet; præterea quotidie eos invocet. Ijſdem Patronis adnumeret ſpecialiter, S. Barbaram Virginem, & Martyrem, in cujus honorem deſtinet, & pleno jure ei inſcribat, omnes Sacras communiones, totius vitæ, ſalvâ itidem inſcriptione fructûs ſatisfactorij, animabus Purgatorij. Præterea quotidie invocet illam manè, & veſperi. Adlegat inſuper ſibi in Patronos mortis Filius Societatis, Sanctos Societatis, nempe S. P. Ignatium, S. Franciſcum utrumque, B. Stanislaum, B. Aloyſum, & alios NN. in quorum honorem omnes actus mortificationis totius vitæ deſtinet, (ſalvo jure animarum Purgatorij) & quotidie ſingulariter eos invocet.

6. Ad Dominum JESUM agonizantem in cruce, religioſus peculiariter ſit devotus, quotidiéq; tempore meridiano, ad pulſum, qui ſolet dari pro ſalutanda Dei Parente, Salutationibus Angelicis adjiciat hanc Oratiunculam:

JESU mi, mi JESU, agonizans in cruce pro me, memento agoniæ & mortis tuæ pretioſiſſimæ, momentum agoniæ, & mortis

meæ

meæ dedico, offero, unio, ſit mors tua vita mea, ô Jeſu mi!

7. Quotidie, conferens ſe ad ſomnum, inſtituat Religioſus praxim mortis, uſitatam olim Patri Gaſpari Druzbicki, vitam cœleſtem planè in terris ducẽti. Praxis hæc eſt ejuſmodi.

1. Decumbe in lecto, veluti ampliùs ex eo non ſurrecturus. 2. toti mundo, rebúſq; ejus valedic. 3. teſtamentum ſpirituale ratifica. 4. Sanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum, atq; Extremam unctionem ſpiritualiter ſume. 5. elicias breviter actus, quos in morte velles elicere: Credo, Spero, Amo ſuper omnia! Doleo ex amore tui: Codono omnibus inimicis meis omnia. Fiat voluntas tua, deſidero videre te, &c. 6. Agonizanti in cruce Chriſto, inſtantiq; mortis ejus, & pretioſiſſimæ Parentis ejus, omniúmque Electorum, inſtans mortis tuæ commenda, & uni. 7. In manus Sanctiſſimæ Trinitatis, Jeſu Chriſti, B V. omniúmque Electorum, Spiritum tuum trade. 8. Ultimo veluti anhelitu nomina, JESUS & MARIA ingemina, ſicque obdormi. Exempl. C. Baron. in vit.

8. Peculiariter Religioſus ſit additus ſtudio diſponendi moribundos: non patietur enim Deus malè mori eum, qui alijs ad bene moriendum profuit; interdúmque Deus hoc ſtudio, poſt mortem punit defectum zeli circa animas, in vita commiſſum; quod tali hiſtoriâ comprobat P Jacob: Hauſinus. *Lib. de Commun. Generali, parte 3 ſect.* 8,

D Sa-

Sacerdos quidam Societatis noſtræ, præbuit ſe videndum, poſt obitum ſuum, alteri ejuſdem Societatis Sacerdoti, viro graviſſimo, religioſiſſimóque, & narravit inter alia; ex quo eſſet è Purgatorij ſupplicijs emiſſus, varias Urbes & Provincias ſibi eſſe luſtrandas, quòd vivens zelum exercuiſſet remiſſiùs: atq; ità Tutelarium Angelorum ritu, juſſum ſe, moribundis aſſiſtere. Retulit hoc P. Florentius Montmorencius; qui, cùm eo tempore ageret Provincialem, de tota re, edoctus eſt per literas ab eo Patre, cui mortuus apparuerat.

9. Agonizantium memor ſit Religioſus quotidie, & pro ijs oret, quotieſcunq; dicit: Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace! conjungátq; ſemper Orationi pro animabus in Purgatorio, Orationi pro agonizantibus; ex quorum momento pendet eorundem Æternitas, & qui ſunt auxilio ſuffragiorum egentiſſimi: qui autem intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala, & die malæ mortis, liberabit eum Dominus.

DIEI QUARTÆ

MEDITATIO II.

De judicio DEI particulari.

Idem fundamentum habet Meditatio hæc in Exercitijs Sancti Patris, quod & præcedens.

Oratio præparat: & PRÆLUD. I. Idem, quod Meditatione primâ diei primæ.

PRÆ-

PRÆLUD. II. Pete à Deo gratiam, concipiendi intimum timorem judicij ejus.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem, *Ezech.* 18. *Vnumquemq; juxta vias ſuas judicabo.* Et conſidera Judicium uniuſcujuſq; , ſeu particulare, in ultimo inſtanti vitæ, exactiſſimum fore. 1. namq; diſcutientur non ſolùm gravia peccata, ſed etiam verba otioſa, ùt præmonet ipſe judex. 2. diſcutientur etiam juſtitiæ ſeu bona opera, intentiones, inclinationes & omnimodæ circumſtantiæ. 2. diſcutientur intenſiones actuum, tam malorum, quàm bonorum. 4. omiſſiones bonorum, evacuationes gratiarum divinarum, impedimenta, & obſtacula, obſtructióq; fontis miſericordiæ divinæ. 5. Peccata in cauſa ſolùm, quæ poterant ſequi ad poſitionem cauſæ eorum, nec tamen ſunt ſecuta. 6. Peccata aliena, tibi tamen meritò imputanda, ſcandaláque activa, & paſſiva. Tanta eſt materia judicij illius: & fortè eſt adhuc alia, quàm Deus novit. Time ergo illam, & per Sacramenta, actúſque ſupernaturales præſertim charitatis, diminue.

II. Audi Deum dicentem; *Mal.* 3. Accedam ad vos in judicio. Et conſidera, judicij illius particularis formam. 1. apparebit animæ Chriſtus crucifixus (ùt docet Innocent. *lib.* 3. de vilitate conditionis humanæ) cum quadam exaggeratione beneficiorum: quo vultu tunc intuebris Chriſtum? an non erubeſces coram il-

 lo?

Digitized by Google

lo ? 2. Sublatô hoc ſpectaculô, ſedebit pro tribunali Chriſtus, vel locô ejus, S Michaël Archangelus. 3. Stabit accuſator diabolus à ſiniſtris, energicéq; omnia exponet, & dicet: juſte Judex, tanta iſti homini præſtitiſti, ille autem te ſpreto, conſilijs, & inſpirationibus tuis abjectis, me & ſuggeſtiones meas eſt ſecutus. 4. à dextris ſtabit Angelus cuſtos tuus, teſtabitúrq; omnia. 5. intus conſcientia, ad inſtar libri, omnia repræſentabit. Quid tũc reſpondebis Judici tuo! poteríſne dicere illud S. Auguſt. Feci Domine quod juſſiſti, da, quod promiſiſti!

III. Audi Chriſtum Dominum dicentem: *Matt.* 22. 23. Quomodo fugietis à judicio gehennæ? & conſidera modos, judicium illud reddendi tibi favens. 1. Si neminem unquam judicaveris: nam non judicaberis, ipſo Judice id aſſerente. 2. Si teipſum judicaveris; nam, teſte Apoſtolo; non judicaberis à Domino. 3. Si faventem tibi reddideris Matrem Judicis, B. Virginem, miſericordiæ Matrem. Hæc igitur deducere in praxim propone.

Colloquium inſtitue illis Proſæ Eccleſiaſticæ verbis. *Iuſte Iudex ultionis, donum fac remiſſionis, ante diem rationis. Ingemiſco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, ſupplicanti parce* DEVS!

&c.

In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

HO-

HORA CONSIDERATIONIS, Tempore pomeridiano, diei Quartæ.

De Teſtamento Hominis Religioſi,

CErtum eſt 1. Prohibitùm eſſe, Religioſis Profeſſis teſtari, & Teſtamenta eorum irrita eſſe. Conſtat ex jure Canonico in Authent. *Ingreſſi*, Cap. de Sacroſanctis Eccleſijs. Ratióque eſt: quia Religioſus Profeſſus, nec proprium habet, nec proprij eſt capax; teſtari autem eſt actus proprietatis. Religioſi quoque Societatis noſtræ, necdum profeſſi, poſt vota tantùm ſimplicia, licet validè poſſint teſtari, licitè tamen non poſſunt, ſinè ſcitu Superioris, qui poſt mortem eorum, teſtamentum in gratiam conſanguineorum factum, irritare poteſt, ità ut conſanguinei, non ex Teſtamento ſuccedant, ſed ab inteſtato, ùt docet Suarez, *tomo 4. de Relig. lib. 4. c. 6.*

Certum eſt 2. Statutam eſſe pœnam in Jure Canonico, Cap. *Monachi* contra Religioſos, qui poſt mortem, habuiſſe aliquid proprij deprehenduntur: ſtatutam, inquam, eſſe pœnã, ut non in loco ſacro ſepeliantur, ſed in ſterquilinio, cum pecunia, vel re per eos poſſeſſa, ùt fecit S Gregor Magnus, quem jus allegat; immo ſi in loco Sacro ſepultus fuerit, eſt extrahendus, ſi id ſinè magno ſcandalo fieri poteſt. Nomine autem proprij, intelligitur non ſolùm dominium, ſed etiam uſus, & poſſeſſio, in-

Digitized by Google

independenter à Superioris conſenſu, juxta doctrinam Theologorum.

Certum eſt 3. dubiam ad minimum eſſe ſalutem eorum Religioſorum, qui multa ſuperflua, unius vectoris onerario currui vix ſufficientia, & interdum pretioſa coacervant; detinent, & tandem poſt mortem relinquunt, quãvis ea cum licentia Superioris coacervaverint, & detinuerint: quia Concilium Tridentinum decernit; *Seſſ. 25. cap. de Regul.* ut ſupellex Religioſorum, ſtatui paupertatis, quam profitentur, ſit conveniens, nihilq; in ea ſuperfluũ ſit. Non poteſt igitur licitè ſuperior religioſus, immo nec ipſa cõmunitas religioſa, etiamſi habeat dominium Bonorum, dare licentiam ſubdito, ſeu particulari Religioſo, ad ſuperflua, quia non poteſt contravenire Concilio. Nec tantùm licitè, ſed nec validè poteſt Superior religioſus, dare facultatem ſubdito ad ſuperflua: quia eſt ſolùm adminiſtrator, tam bonorum temporalium religionis, quàm eorum quæ aliunde obveniunt ſubdito; adminiſtratio autem illi conceditur à conſtitutione Eccleſiæ, ad neceſſaria ſolùm, non ſuperflua. Doctrina hæc deſumitur ex graviſſimis Theologis, apud Sanchez *lib. 7 in Præc. Dec. cap. 8. &c. 19. à num. 20.*

Sed quidquid ſit de his. Nunquid decet Socium Chriſti, (qui non habuit ubi caput reclinaret, & qui nudus in cruce mortuus eſt) onu-

ſtum

ſtum ſuperfluis mori? nunquid cum talibus ſarcinis, mortuus eſt S. P. Ignatius? qui in cubiculo ſuo nihil habuit præter novum teſtamentum, Thomam de Kempis, de imitatione Chriſti, & Miſſale, quod pridie Miſſæ dicendæ, curabat ſibi adferri: Ut adnotavit P. Conſalvus in Diario. Alios, è noſtris, Servos Dei, talium ſuperfluitatum hoſtes, & eliminatores referre, ſuperfluum duco.

Certum eſt 4. Ineſſe Religioſo bona quædam, quæ in nuncupatione Votorum à ſe non alienavit, ùt patebit ex praxi ſequenti, & de his poſſe teſtamentum conficere ejuſmodi.

Praxis Teſtamenti Religioſi.

EGo NN. volo facere Teſtamentum ultimæ voluntatis meæ, in omnem vitam, & mortem meam, & in æternitatem valiturum, ad majorem Dei mei gloriam, & recreandum guſtum, cor, beneplacitúmque divinum, ut conſulam animæ meæ ſecuritati: quàm ex libera & bene placente voluntate facere deſidero, quantum mihi, ô Sanctiſſima Trinitas, Deus meus, per gratiam tuam, & Domini mei Jeſu Chriſti, pretioſiſſimæque ejus Parentis, & Sanctorum interceſſionem, licitum eſt.

Atque hic inprimis prævios actus, huic teſtamento accomodatos expedi, nempe actum Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Gratiarum actionis, pro beneficijs totius vitæ; Reſi-

gnationis in omnem Dei voluntatem; deſiderij videndi Sanctiſſimam Trinitatem; affectûs erga B. V. &c.

Deinde ipſum Teſtamentum ſic aggredere.

Ego, mi Deus, amore tui, per gratiam tuam ſpoliavi me omnibus bonis terrenis, omni ſubſtantiâ temporali, etiam ſperatâ, & concupitâ; ſpoliavi me omni honore mundano, & capacitate ipſius, omnibus voluptatibus, etiam per jus naturæ licitis; omni demum libertate propriâ, ad faciendum, quod libéret meæ voluntati. His igitur jam pridem in ſancto ſinu tuo depoſitis, quæ mihi reſidua ſunt ex dono tuo, de his, juxta beneplacitum tuum, ità diſpono:

1. Eſſe phyſicum corporis & animæ meæ, trado omnium creatrici omnipotentiæ tuæ, & proteſtor, te eſſe primum principium rerum omnium. Parce, ſi in primo uſu rationis ad te non ſum converſus.

2. Jus extremæ neceſſitatis defendendi vitam meam, trado ſvaviſſimæ Providentiæ tuæ, & proteſtor, te eſſe Dominum vitæ, & necis, ſubdóque me tibi ad omne genus mortis.

3 Inannihilabilitatem, per potentiam ordinariam tam materiæ, quàm animæ meæ, trado divinæ immortalitati tuæ, & proteſtor me nolle eſſe, niſi propter te, & ut amem te.

4. Potentiam obedientialem meam, trado effectrici miraculorum potentiæ tuæ, & proteſtor,

teſtor, te Authorem omnium ſupernaturalium eſſe.

5. Alias, tam corporis, quàm animæ potentias, trado virtuti, & potentiæ humanitatis Chriſti, cui unionem Hypoſtaticam gratulor.

6. Virtutes, & habitus naturales, in anima reſidentes trado æternæ Sapientiæ tuæ, eíque me in æternum diſcipulum devoveo.

7 Paſſiones omnes, & propenſiones meas, trado inclinatiſſimæ, in genus humanum, propenſioni tuæ, cui in æternum adhæreo.

8. Libertatem illam abſolutam, quâ, hoc momento, maximus peccatorum eſſe, ipſúmque Luciferum adæquare poſſum, ſubdo eminentiſſimæ libertati tuæ, cui me in æternum demancipo.

9. Famam, & honores omnes, ſi qui mihi aliquo jure debentur; trado inprimis ſupremæ dignitati tuæ, deinde linguis, & vilipenſionibus, obtrectationibúſq; hominum; ità ut nec poſt mortem, ab hac obligatione eximi velim.

10 Merita omnia, ſi quæ habeo in Religione, ratione laborum meorum, trado Religioni meæ, nec ab ea quidquam volo, nisi ut me tractet tanquam mancipium, & me inutile pondus, poſt mortem in ſterquilinio ſepeliat.

11. Gratias omnes, à te mihi collatas, & habitus omnes ſupernaturales, in anima reſidentes, trado, & depono in manibus pretioſiſſimæ Dei Matris, proteſtórque me, per ma-

nus ejus, omnia accepiſſe, & hæc eſt æterna proteſtatio mea.

12. Virtutes omnes ſupernaturales, & acquiſitas, ſi quæ ſunt, trado infinitæ bonitati tuæ, & peto ut tandem conſumat omnem malitiam meam.

13. Fructum adoratorium, & gratiarum actorium, omnium actionum mearum, trado eminentiſſimæ Majeſtati tuæ, ad ſubdendos tibi omnes infideles & hæreticos.

14. Fructum impetratorium omnium actionum, & paſſionum mearum, trado Miſericordiæ tuæ, pro exiſtentibus in peccato mortali, & pro agonizantibus.

15. Fructum omnem ſatisfactorium, tam mearum omnium actionum, & paſſionum, quàm alienarum, in vita, & poſt mortem ad me ſpectantem, trado animabus purgatorij, plenè, & totaliter.

Sic me nudum, exſpoliatúmque in mero nihilo meo, coram te ſtatuo. Et ſic, te ſolo contentus, mori volo, agonem meum agoni Chriſti uniens.

Sic me ex hac vita transfer, & miſericordiſſimè fac me eſſe id, quod vis, Amen.

DIEI QUARTÆ.
MEDITATIO III.
De Æternitate.

Ratiocinari nos, de ea, jubet S. Pater dum ait,

Digitized by Google

ait. *Exerc. hebd.* 1. *puncto* 3. *Ratiocinandũ eſt. ſupplicium æternum, peccato juſtè irrogari.*

Oratio præparat. & PRÆLUD: I. Idem quod Mediat: prima, diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à DEO gratiam apprehendendi Æternitatem, ſternendíque tibi viam, ad eam ſanctè inchoandam.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem; per S. Paulum; *Tim.* 6. *Apprehende vitam æternam.* Et conſidera immenſam longitudinẽ æternitatis, ſeu ductum æternæ durationis, tã versùs aquilonem, & occaſum infernalis infelicitatis, quàm versùs ortum & meridiem cœleſtis beatitudinis. Dentur pulviſculi ità minuti, ut eorum decem millia contineantur in uno grano papaveris. Sit igitur totum hoc ſpatium, quod eſt intra cœlum & terram, impletum talibus pulviſculis: quid putas, quantus erit numerus illorum pulviſculorum? & tamen hunc numerum, P. Clavius expreſſit unâ unitate, adjectis cifris quinquaginta unâ, nempe tali numerô 1000000000000000000 000000000000000000000000000000000. id eſt, mille millibus millionum, millionum, millionum, millionum, millionum, millionũ, millionum, millionum. Jam non ſic, ſed diſponantur numeri in tam longum, quanta longitudo eſt diametri cœli empyrei, nempe pluſquam octoginta millionibus milliarium. ô quàm horrendus conſurget numerus! Sed ex-

Digitized by Google

exprimetúrne per illum longitudo æternitatis? nihil minùs? finiti enim ad infinitum nulla eſt proportio. Et non dices? ô æternitas, cùm te non capiam, tu me capias.

II. Audi dicentem Deum, per Eccleſiaſten. *cap.* 12. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Et conſidera immenſam ſuperficiem æternitatis, tam fortunatæ, quàm infelicis. Qui eſt in medio Oceano, quocunque verterit oculos, non attinget litus: ſic, quocunque Beatus oculos verterit, non attinget terminum, eodémque modo damnatus: undique & undique æternitas. Ecce talis ſuperficies æternitatis! committes aliquando, religioſe, te huic immenſo mari, ah quomodo, pro tanta navigatione providiſti, & provides tibi?

III. Audi dicentem Deum: *Iſaiæ* 32. *Quis ex vobis habitare poterit cum ardoribus ſempiternis?* Et conſidera corpus ipſum, ſeu craſſitiem æternitatis. De fide enim eſt, fore in inferno fletum, ùt docet Chriſtus, *Matt.* 8. de quo S. Bonaventura *cap.* 49. *de inferno.* ait: *tam copioſum illum fore, ut ſi ſingulorum damnatorum aſſervarentur lachrymæ, integer ex illis congereretur Oceanus.* Cogita ulteriùs; ſint tot integri mundi, quot fuerunt, ſunt, erúntque homines, quot folia in arboribus, quot guttæ in aquis, arenæ in mari, atomi in aëre: & unus damnatorum ſingulis mille annis, unam gutam ex oculis ſuis emittat, implebit lachry-

mis

mis ſuis omnes Mundos: Æternitas autem in infinitum continuanda manebit, tam diu, quamdiu Deus erit Deus.

Colloquium. O anima mea! æternitas te, bona vel mala, manet; & in poteſtate tua eſt, cum Dei gratia, bonam conſequi: cur ergo non incipis ſeriò pro cœlo laborare? quid tibi cum tranſitorijs vanitatibus? tranſibunt hæc omnia, quid te ex rebus mundi contriſtabit? quid pro æternitate bona obtinenda grave erit? æterne Deus, qui me æternum creâſti, nè permittas, quæſo, me perire in æternum!

DIES QUINTA.

S. Joſeph, Sponſo B. V. conſecranda:

Actus ejaculatorius hujus diei erit iſte:

Domine, dum veneris judicare, noli me condemnare.

MEDITATIO I.

De abyſſo Iudiciorum Divinorum.

De judicio Dei fieri poſſe Meditationes in Exercitijs, innuit S. Pater, in fine *Exercitij* v. *Hebdom. I.*

Oratio præparat. & Prælud. I. idem quod Medit. prima, diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, per quam à judicijs ejus formidet cor tuum.

Punctum I. Audi Deum dicentem, per S. Paulum *ad Rom. 9.* Cùm nondum nati fuiſſent, &c. Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.

Digitized by Google

Et conſidera abyſſum judiciorum Dei, circa te antequam exſtitiſti. 1. alterutrum horum eſt; vel prædeſtinavit te Deus, ſeu elegit ad gloriam æternam, electione meri doni, ſinè ullis tuis meritis; vel poſt præviſa peccata tua, reprobavit te: horum cùm neutrum determinatè ſcias, quomodo non pavebis? 2. ordinavit ſeriem prædeſtinationis tuæ, cum multis, occultis tibi, conditionibus, licèt in poteſtate tua poſitis, ſi, ſi &c. quæ cùm tibi ſint ignotæ, quomodo non pavebis? 3. computavit & determinavit dies tuos, fecítque decreto ſuo terminum vitæ tuæ; quem cùm ignores, quomodo non pavebis? 4. determinavit numerum gratiarum, efficacium tibi dandarum, & menſuram peccatorum, à te liberè comittendorum, quam cùm ignores, quomodo non pavebis?

II. Audi dicentem Deum: 1. *Reg.* 19. *Non juxta intuitum hominis ego judico.* Et conſidera abyſſum judiciorum Dei circa te, totâ vitâ tuâ. 1. Neſcis, utrùm odio, an amore dignus ſis. 2. Neſcis, an ſis perſeveraturus uſque ad finem. 3. Non unus fortè ex ſæcularibus eſt te melior. 4. Scis evidenter quòd peccaveris, remiſſum autem tibi eſſe peccatum, neſcis: quia neſcis, an vel unicum actum ſupernaturalem in tota vita tua elicueris, qui tamen actus requiritur ad remiſſionem peccati. 5. In Angelis ſuis reperit pravitatem Deus, columnæque cœli ceciderunt, & tu non timebis?

III.

III. Audi dici de Deo. *Pſal. 67. Domini, Domini, exitus mortis*: Et conſidera, abyſſum judiciorum Dei, circa mortem tuam, & ea quæ conſequentur mortem. 1. Multi, qui diu bene vixerunt, in extremo vitæ puncto damnati ſunt, id & tibi contingere poteſt. 2 *Si juſtus vix ſalvatur*, tu ubi parebis? 3. Clamabat ille: *anima mea! 70. annis ſerviviſti Deo, & egredi times?* tu autem eo tempore quid dices? 4. Fortè jam recepiſti mercedem tuam, vanus vanam. Et nonne timebis?

Colloquium. Quis non timbit te Domine, quia ſolus pius es? non me ità terret juſtitia tua, ſicut terret me miſericordia tua, cui malè reſpondet miſeria mea. Tot me jam vallâſti beneficijs, muniviſti præſidijs; & ego hoſtili animo contra te inſurrexi, munitiones tuas contra te verti. O quis erit exitus meus? Miſerere Domine, & nè diſpicias in finem.

In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

DOCTRINA PRACTICA

Tempore matutino, diei quintæ relegenda.

De Timore Judiciorum Dei.

1. NOmine judiciorum Dei, intelliguntur non ſolùm illa duo Tribunalia Dei, quorum unum abſolvitur in morte cujuſq; hominis, alterum peragetur in die noviſſimo; ſed etiam mirabiles quædam Dei diſpoſitiones, circa creaturam ſuam: quas Scriptura interdum

vocat *abyſſum* : *Iudicia tua abyſſus multa*. *Pſ.* 35. interdum, ſcientiam quandam imperſcrutabilem. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam* : nonnunquam, *nubem*, in qua eſt latibulum Dei ; interdum, *lucem inacceſſibilem* 1 *Timot*. 6.

2. In re autem, ipſa judicia Dei nihil aliud ſunt (juxta Salianum, lib. 2. de timore Dei c. 3.) niſi divinæ illæ actiones, quæ ſuperiorem quandam Regulam, & quotidianâ, pervulgatâque providentiâ ſublimiorem, ſequuntur. Quod ipſum prædictus auctor ſic exemplificat : uſitata, inquit, providentia eſt, ut qui ſanctè vixit, felici morte defungatur, & ut perditam vitam, mors exſecranda conſequatur : perinde atq; is, qui Babylonem, vel Hieroſolymā magnis & cōtinuis itineribus contendit, finaliter Babylonem, vel Hieroſolymam perveniat. Sed illud mirabile eſt, ſi is, qui Babilonē intendebat, ad eámq; dies, noctéſq; properabat, Hieroſolymam perveniat ; & vice verſâ : hoc eſt, ut qui diu malè vixit, bene moriatur, & vice verſâ : atq; hæc, inter alia, ſunt abyſſalia judicia Dei. Quæ, ut religioſus aſſveſcat ſalubriter timere, hæ poſſunt ſubſervire praxes.

Primò, cogitet interdū : quis ſcit an nomen meum ſcriptum ſit in libro Vitæ ? ingeſſit olim cogitationem hanc, S. Bernardus, fratribus ſuis, in ſermone ad eos habito, dicens ; quis ſcit, an omnium veſtrûm, quos video, nomina

ſcripta

ſcripta ſint in libro vitæ? fundatúrque hæc cogitatio, in illo ipſius Incarnatæ Sapientiæ oraculo: *multi vocati, pauci electi*: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Non ſunt tamen formandæ, ex hac cogitatione, quæſtionéque illationes importantes duo extrema, ad infernum deducentia; nempe, extremum præſumptionis, & extremum deſperationis. Sed temperanda eſt illo effato: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris,* & enitere ità vivere, ut cœleſti habitationi congruas. De quo quidem effato controvertitur, an ſit prolatum à S. Auguſtino: hoc tamen de illo ſentiendum, quòd fundetur in doctrinâ ſupremi, poſt Chriſtum Eccleſiæ Doctoris, S. Petri, qui ait; *Epiſtola* 2. *cap.* 1. *Fratres, ſatagite, ut per bona opera, certam veſtram Vocationem, & Electionem faciatis.* Et hoc eſt; fac, ut prædeſtineris: ut, dum tibi nō conſtat, de Electione tua, per bona opera certam tibi illam facias.

Cor Religioſi circa hanc quæſtionem, & cogitationem, velim, hæc advertas: Scis utique quam bonus ſit Deus: Scis, quàm dignus ſit omni poſſibili amore: Scis, quòd Deus, etiam damnando te, ſicut non poteſt non eſſe Deus, ità non poteſt non eſſe bonus; Scis inquā hæc omnia; quomodo ergo non erumpes in hunc actum? ô Deus! ô bonitas! ô dignitas amoris! dato, quod ſim reprobus, dato, quòd te

non

non ſim amaturus in æternum, hoc ipſo per totam vitam meam amabo te, & ex amore tui ſerviam tibi. Si homines mundani, eô etiam titulô inhiant & adhærent viſcosè rebus temporalibus, quia illis non ſunt fruituri poſt mortem; quantò æquiùs ego fruar te in vita, ſi te non ſum fruiturus poſt mortem? caream cœlo; & dato, quòd carebo te in cœlo: hôc ipsô nolo te carere in terra, nè ſim bis miſer, & ibi, & hic: nè ſim ante tempus infelix, quidquid ſit tandem, committo tibi, & judicijs tuis; mihi ſufficit, ità adhærere tibi, ut non dimittam te, quamdiu fuero.

2\. Secundò: non fidat Religioſus ſtatui ſuo nimis, ſed audiat S. Hieronymum quem ſonitus judiciariæ tubæ, totum mundum ad extremũ Dei judicium convocaturæ, non attentum duntaxat, & pervigilem; ſed etiam intentiſſimum ſervitio, & timori Dei reddiderat; audias, inquam, illum dicentem: Non Hieroſolymis vixiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudabile eſt. Magna Dei miſericordia, quòd de ſæculo nequam eductus ſis, Religioſe, & poſitus in Religione. Sed nunquid hôc ipsô in gratia Dei confirmatus es; & impeccabilis redditus? Eſt Religio cœlum, ſed in cœlo deliquit irremediabiliter Angelus. Eſt Religio paradiſus, ſed & in paradiſo, primi parentes innocentiam abliguriverunt. Eſt religio cœtus Apoſtolorum: ſed & in hoc cœtu prævaricatus eſt Judas.

das. Habetur clauſura, ſed & eam fur infernalis ſuffodere poteſt. Coërcet à malo ipſa veſtis religioſa, ſed & in ea, niſi adſit timor Dei & cuſtodia ſui, filum prædeſtinationis præſcindi poteſt.

Tertiò: Non patiatur Religioſus, ſe vinci à ſæcularibus in ſervitio Dei, nè cadat in eum illa Chriſti ſententia. *Auferetur à vobis Regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Non sũt hæ novæ apud Deũ trãſmutationes & trãſlationes, ut unus alterius ingrati occupet locũ. Sic ſuperbi Luciferi S. Franciſcus Aſſiſias, dicitur in cœlo obtinuiſſe principatum. Sic in locum proditoris Judæ, ſubſtitutus Mathias. Sic Apoſtoli, Judæis nolentib⁹ recipere Verbum Dei, converſi ſunt ad Gentes. Sic *multi venient ab Oriente, & ab Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in Regno Dei, filij autem Regni, ejicientur in tenebras*, Sic in die judicij dicet Chriſtus nonnullis, qui in nomine ejus multas virtutes fecerunt: neſcio vos, recedite à me operarij iniquitatis. Et quod miſerandum! contingit interdum, ut illi qui alios erudierunt, & perduxerunt ad ſalutem, illi, inquam, ipſi damnentur. Ad quod reſpexiſſe videtur Spiritus ſanctus, per Eccleſiaſten *cap.9*. dum ante illam ſententiam; *Neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit*, præmiſit; *Sunt juſti, atq; ſapientes, & opera eorum in manu Dei*. Chaldæus legit; *Et diſcipuli eorum in manu Dei*. 3.

Dei ità fit interdum, ut diſcipulis detur Regnũ Dei, ab ijs autem, qui eos erudierunt ad ſalutem, auferatur; ut diſcipuli, auditores, pœnitentes, proſelyti, ſint in manu Dei; eorum autem Profeſſores, Magiſtri, Concionatores, Confeſſarij, ad Religionem Directores, devolvantur ad manus diaboli: quam viciſſitudinem expendens S Gregorius Magnus *Homil.* 17. *in Evang.* cum dolore ait: *Per nos, fideles &c. ad Regnum cœlorum pertingunt, & ecce, nos, per negligentiam noſtram, deorſum tendimus.*

Exempla hujus dolendæ viciſſitudinis, tam in Hiſtorijs Eccleſiaſticis, quàm in Chronicis Religionum, ſunt plurima, quæ referre, anguſtiæ libelli hujus non permittunt,

Hoc igitur Religioſe, cordi tuo altè impreſſum gere, & formida, nè Deus te ingratum, inutilem, ſuóq; rebellẽ lumini, ex Religione ſancta eliminet, & in locum tui, alios meliores ſubroget: formida & illud, quod olim inculcabat P. Fabricius Banfus, Viſitator Poloniæ & Lithvaniæ: *Servemus, Fratres mei, Regulas noſtras, nè Deus, locô noſtra, eligat ſibi, vel excitet aliam Religionem, & nos projiciat: ſicut tot alios projecit.* Sit autem formido iſta, non merè ſpeculativa solùm, ſed practica, & morum (juxta normam exactæ Religioſitatis) correctiva.

DIEI QUINTÆ
MEDITATIO II.
De Purgatorio.

Licèt de hoc, in Exercitijs ſuis, S. Pater, explicitam mentionem non fecerit, fecit tamen implicitè, ità loquens: *Si viſum fuerit ei, qui tradit Exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias Meditationes his adjicere, ùt de morte, ac alijs peccati pœnis (inter quas ſunt utique pœnæ Purgatorii) non ſe putet prohiberi. Hebd. 1. Exerc. 5 in fine.*

Oratio præparat: & PRÆLUDIUM I. Idem quod Medit 1. diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, penetrandi ſalutiferè pœnas purgatorij, eáſque vitandi.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem, per Prophetam: *Non miſerebitur ejus, qui fecit eum, & qui formavit eum, non parcet ei.* Hoc audiens, conſidera gravitatem pœnarum purgatorij. 1. quia, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit puniẽdis in purgator: cuj⁹ pœnæ, excepta temporalitate, eædem ſunt, quæ in inferno: eſt enim pœna damni, nempe carentia viſionis beatificæ, cujus unicum momentum prævalet æternitati pœnarum ſenſûs infernalium. Sunt & pœnæ ſenſûs, ſuperantes omnia tormenta hujus mundi, omnia ſupplicia & carnificinas omnium Martyrum ſimul ſumptas. 2. quia ſunt in purgatorio aliquæ pœnæ ſensûs, reſpectu aliquorum, ſuperantes pœnam ſensûs infernalem; nempe, dum aliquis ob decem peccata mortalia, quæ ante mortem immediatè

per

per Sacramentum pœnitentiæ ſuſtulit quoad ſolam culpam, manente pœnâ, punitur; ejus enim pœna ſensûs, in purgatorio, major eſt quàm ejus, qui ob unum peccatum mortale in æternum damnatus, pœnam ſensûs in inferno ſubit. Et non timebis tam juſtè ſeveram Domini & judicis tui manum?

II. Audi Deum dicentem; *Pſal.* 74. *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Et conſidera, eas, quæ nobis interdum videntur eſſe juſtitiæ, interdum injuſtitias eſſe apud Deum. puniri quoque in purgatorio, animas juſtas, magnorum meritorũ, futuras in ſublimi gloria: puniri autem pro minimis culpis, ut de hoc tot habes hiſtorias: puniri ob collocutionem ſolùm importunam, propter unam impatientiam, propter parum potûs, ſine facultate ſuperioris, ſumpti; propter appoſita, & conſumpta in culina, juſtô plura ligna, &c. Quid igitur erit tam parvum, quod committere non vereberis? verére igitur omnia opera tua, ſciens, quòd Deus non parcat delinquenti.

III. Audi Chriſtum Dominum dicentem: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dũ es in via cum eo, nè fortè, &c. mittaris in carcerem.* Et conſidera modos evadendi purgatorij carcerẽ. 1. Evades illum, ſi adverſarijs tuis, omnes offenſas, ex corde dimiſeris, nec pœnas eorum ullas deſideraveris: Dominus enim dicit, dimittite, & dimittetur vobis. 2. Si, quidquid tibi in religione moleſti occurrit, patienter tuleris

ris. Religio enim eſt lentum Martyrium, per Martyrium autem evitatur purgatorium. 3. Si Chriſto Domino paſſo ſpecialiter addictus fueris, ejuſq; dolores recogitaveris: qui enim dolet cum Chriſto hîc, non dolebit alibi. 4. Si omnia opera tua ſatisfactoria animabus purgatorij inſcripſeris: contractus enim iſte miſericordiæ non poteſt pati miſeriam. 5. Si Sacramento pœnitentiæ, & Eucharistiæ exactè uſus fueris. 6. Si actus amoris Dei, & contritionis frequenter elicueris. 7. Si indulgentijs exactè uſ? fueris. Propone hæc omnia cũ Dei auxilio.

Colloquium: Æterne Deus, hîc ure, hîc ſeca, modò in purgatorio, & multò magis in æternum parcas. O Sanguis Jesu! reſtingue flammas, quæ debentur mihi: O Mater DEI mei! nè obliviſcaris poſt mortem clientis tui. In fine, Pater, & Ave, & Anima Chriſti, &c.

HORA CONSIDERATIONIS

Tempore Pomeridiano, diei 5tæ.

De timenda Pietate, Miſericordia, & Beneficijs DEI

QUis putaret, non ſolùm Dei judicia formidanda eſſe, ſed etiam pietatem, miſericordiam, & beneficia Dei, timeri debere? Quis impius timet pietatem, atque clementiam erga ſe? quis miſer metuit miſericordiam? quis Beneficiarius, beneficium, donationémq; formidat? amoris hæc, non autem timoris incentiva videntur eſſe. Et tamen non poteſt ſolvi Scri-

ptura,

ptura, quæ dicit. *Apoc. 15. Quis non timebit Domine, qui ſolus pius es?* Cauſæ autem timoris iſtius ſunt hæ:

Primò, quia ex pietate, miſericordia, & beneficijs Dei, occaſionaliter interdum naſcitur vel ſaltèm notabiliter aggravatur peccatum. Docet id re, & verbô, ipſe, *qui peccatum non fecit* Chriſtus. Docet re, juxta S. Simeonem *poſitus in ruinam multorum*. Docet verbô, dum ait: *Ioan. 15. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* En, ex tanto adventûs Filii Dei beneficio, enatum occaſionaliter eſt peccatum!

Secundò, quia quædam beneficia confert Deus iratus, quæ non conferret placatus, & eſt quædam miſericordia Dei ſummam importans homini miſeriam: ſic enim dicit Deus; *Iſa. 26: Misereamur impio, & non diſcet juſtitiam.* quibus verbis, tanquam fulmine ictus S. Bernardus *Serm. 24. in cant.* exclamat: *Miſericordiam hanc ego nolo! ſuper omnem iram miſeratio iſta, volo iraſcaris mihi Pater miſericordiarũ; ſed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ extrudis de via.* Eſt quædam miſericordia Dei, non flagellari à Deo; audi ergo, quid de hac miſericordia ſentiat Regius Propheta. *Pſ. 72. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabantur, ideo tenuit eos ſuperbia; operti ſunt iniquitate. & impietate ſuâ*, ad quod reſpiciens Petrus Bleſenſis ait: *Epiſt. 9. Qui non flagellantur temporaliter cum homini-*

bus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus: & qui cum hominibus non laborant, cum dæmonibus laborabunt.

Dignum autem eſt animadverſione, quòd dum dicit Deus: *Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam,* ſtatim ſubdat, *In terra Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini.* Ecce! in tales fulmen illud formidandæ Dei miſericordiæ jacitur, qui inter bonos iniqui ſunt. Solidus Sacræ Scripturæ interpres, Cornelius à Lapide, fulmen hoc divinum, ità in nos intorquet, verba ejus ſunt: *Hæc ſibi adaptent, qui in ſancta Societate, aut Religione, diſſolutè vivunt: gravis enim in illos incumbet judicij cenſura.*

Tertiò, quia beneficia Dei interdum dantur, in ſolam compenſationem, & mercedem temporaneam, pro nonnullis bonis operibus, merè ordinis naturalis, & olim ſupernaturalibus, ſed per peccatũ mortale mortificatis pro quibus non dabitur merces æterna, juxta illud decretorium Chriſti effatum; *Matt, 6. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Hoc intimè perculerat ſanctum Hilarionem (ùt refert de illo S. Hieronymus) nam cùm ingens ad eũ multitudo conflueret, ob plurima, quæ patrabat miracula, indéque ſe æſtimari videret, profuſas quotidie ſolvebatur in lachrymas: tanti autem doloris, & deplorationis cauſam, inquirentibus diſcipulis, reſpondebat; *Videtur mihi Fratres, quòd hâc hominum æſtimatione, jam*

Deus in hac vita rependat mihi, parva illa, quæ ei præſto, obſequia.

Quartò, quia quædam beneficia Dei, ſunt interdum præſagia malorum eventuum imminentium: perinde atq; inſolita malacia in mari, ordinariè præſaga eſt magnarum tempeſtatum. Experientiam habuit hujus præſagij & prognoſtici, S P.N. Ignatius: nam, ut perhibet hiſtoria noſtra *lib. 14 num 10.* cùm anno quodam feliciter in Societate ſuccedere omnia intellexiſſet, *Malè*, inquit, *metuo, nè à noſtris alicubi peccatum ſit.* Nec mora, paulò pòſt, Sūmus Pontifex, Julius III. perſvaſus, Noſtrorū inſtinctu decretum quoddam in Hiſpania editum eſſe; ità iratus eſt contra noſtros, ut omnes à ſuo acceſſu arceret, nulliſq; Cardinaliū, de Noſtris verbum ullum facere permitteret, tandem tamen ad literas Ferdinandi Regis Romanorum, vocato ad ſe S. Ignatio, & informatione acceptâ, animum mutavit.

Quintò, quia beneficijs divinis, aliqui interdum obdurantur, taléſq; erant, de quibus Iob *cap 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Et S. Paulus dicit, *ad Rom. 2.* nonnullos, ex divitijs bonitatis Dei, theſaurizâſſe ſibi iram, ſeu, ut Chryſoſt: in hunc locum, Dei beneficentiam in eis improbitatis, ingratitudiniſq; augmentum effeciſſe Huc ſpectat, quod S. Auguſtinus *Serm. 88. de tempore*, ait: *De Pharaone, ſinè dubitatione credamus, quòd eum, non tam Dei potentia, quàm*

quàm Dei patientia, fecerit obdurari, &c. quia dum ab illo, pro ineffabili bonitate ſua Deus plagas ſuſpendit; ille obdurato corde, contra Deum, ſuperbus ſe erexit, abuſus nempe bonitate & indulgentia Dei; non autem voluntate Dei obduratus.

Sextò; quia in die judicij, de ſingulis Dei miſericordijs, & beneficijs diſtrictam reddituri ſumus rationē: ità, ut cui plus datum eſt, plus requirendum ſit ab eo; &, *cùm augentur dona, rationes etiam creſcant donorum; & nos, qui plus alijs accepimus graviùs inde judicandi ſimus*, nec tantùm judicandi, ſed etiam ſupplicio afficiendi: id quod S Chryſoſtomus *in Pſal 6.* confirmat, adducens legem veteris teſtamenti, in qua, pro peccato unius Sacerdotis, & pro peccato totius populi, unus Deo vitulus offerebatur, aitque admirans: pro univerſo populo, qui peccârat, tantum offerebatur Sacrificium, quantum pro ſolo Sacerdote! Et ſubdit cauſam hanc: *Quia, quò major eſt auctoritas* Sacerdotis à Deo evecti) *eò eſt & majus ejus, qui peccat, ſupplicium.*

Septimò, quia pietas, miſericordia, & beneficia Dei, ſi illis non uſi, aut malè uſi fuerimus, intolerabili nobis confuſioni erunt, in die judicij, & (quod Deus avertat!) in inferno per totam æternitatem. Veritatem hanc, ipſa eſſentialis Veritas, Chriſtus, ità inculcat; *Matth. 11. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in*

Tyro, & Sidone, facta fuiſſent virtutes iſtæ, quæ facta ſũt in te; olim in cinere, & cilicio pœnitentiã egiſſent. Dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſiùs erit in die judicij, quàm vobis. Et tu Capharnaũ &c. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio, cum generatione iſta, & condemnabunt eam. Regina Auſtri ſurget & condemnabit eam, &c.

Refert Dionyſius Carthuſianus *art. 30. de 4. noviſſ. p. 2. c. 203.* & habetur in vitis PP. Adoleſcentem quendam Religioni nomen dare volentem, à Matre impeditum, tandem eviciſſe, hoc Epiphonemate ſæpius repetito: volo ſalvare animam meam. Is in Religione, primis fervoribus extinctis, intepuit. Mortua Matre, & ipſe in morbum incidit, in quo raptus ſpiritu, atq; ad judicium Dei adductus vidit matrem, quæ illum intuita inter damnandos, exclamavit: quid eſt hoc fili? quomodo huc redactus es? & ubi eſt illud, quod mihi oggerebas; *volo ſalvare animam meam.* ideóne Religionem inijſti? hac Matris exprobratione, ità confuſus eſt, ut redux ad ſe & à morbo liber factus, perauſteram duxerit vitam; rigorémq; hunc diſſvadentibus nonnullis, dicere ſolitus fuerit; ſi Matrem exprobrantem ferre non potui: Judicem Chriſtum exprobrantem in die judicij, quomodo feram? Hinc diſce, Religioſe, etiam ipſum Religioſum ſtatum tibi timendum eſſe, ſi in eo, non ùt par eſt, vixeris: plus enim à te requirit Deus, quàm à ſæcularibus.

DIEI

DIEI QVINTÆ MEDITATIO III.

De Judicio Dei Univerſali.

Competere Meditationem hanc Exercitijs ſpiritualibus, innuit S. Pater ad initium Meditationis primæ hujus diei relatus.

Oratio præparatoria, & PRÆLUDIUM I. Idem quod in prima Medit: Diei primæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, imprimendi animæ tuæ ſonum illum tubæ: *Surgite mortui, venite ad judicium!*

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem; *Ioël. 3 Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat.* Hoc audiens, conſidera præcipua ex ijs, quæ præcedent judicium Univerſale. 1. ad ſonum tubæ, aperientur monumenta, animæq; reunientur corporibus. Ah! quid anima damnati dicet reaſſumendo corpus enormiſſimum! quomodo illud maledicet, quòd propter ejus oblectationes damnata ſit. E contra, quomodo anima juſti benedicet corpus ſuum, quod illi inſtrumentum fuit ad ſalutem per mortificationes, &c. 2. damnati ad intuitum ſigni crucis, in aëre apparentis; clamabunt: montes, cadite ſuper nos, &c. juſti autem dicent; ô crux ave ſpes unica! 3. dum videbunt damnati juſtos occurrere Chriſto in aëra, movebuntur pœnitudine incorrigibili, dicéntq: : *Nos ſtulti, vitam illorum æſtimabamus*

Digitized by Google

mus inſaniam, &c. ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei! tranſierunt omnia, nos autem æternùm miſeri! vide inter quos ex his, Religioſe, velis eſſe.

II. Audi Deum dicentem *Ezech. 7. Nunc finis ſuper te, & judicabo te juxta vias tuas.* Hoc audiens conſidera præcipua ex ijs, quæ peragentur in illo judicio. 1. Pauperes ſpiritu, & re, (quales ſunt Religioſi) erunt Judices aliorum; ô quanta felicitas! 2. manifeſtabuntur peccata ſingulorum hominum toti mundo; quàm igitur demens, qui modò non manifeſtat in Confeſſione. 3. Separabit Chriſtus Agnos ab hædis. Et ubínam ſtabis Religioſe? ſi tantùm materialis, & veſte ſolâ religioſus es, dexteram non ſpera. 4. Feret ſententiam Judex, dicétque Agnis; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, &c.* hædis autem; *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* Expende ſingula verba, præſertim illud; *Venite,* reſpondens vocationi; Et illud; *Diſcedite,* reſpondens dimiſſioni.

III. Audi Chriſtum dicentem; *Matth. 25. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.* Expendéq; ſingula verba, & 1. ET, ſignificans continuationem pœnæ cum decreto immutabili; nunquam ex iſto *Et*, fiet *vel.* 2. *ibunt*: in æternitate ſolus eſt progreſſus, terminus nunquam. 3. *Hi*, nè cõmuni quidem termino digni, qui à Deo exciderunt.

ſerunt. 4. *in ſupplicium æternum*, pro momentaneis vanitatibus: 5. *Iuſti autem*, *&c.* quàm magna merces, pro tantilis laboribus. Jam quantus erit damnatorum ejulatus, dum incipient evaneſcere ex oculis eorum in cœlum euntes, eorum olim amici, ſocij, &c. condiſcipuli, connovitij, conreligioſi, &c. Híſne non moveberis?

Colloquium Inſtitue his verbis; *Cùm veneris judicare, noli me condemnare!* Per illud judicium, quo apud Pilatum, iniquè judicatus es Domine Jeſu, parce ſervo tuo, &c.

In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

DIES SEXTA

S. Patri noſtro Ignatio conſecranda.

Actus ejaculatorius hujus diei erit iſte: *IESVS & MARIA, dulciſſimi amores mei, patiar ego, moriar ego amore veſtri, totus ſim veſter, nullus meus.* Ex vita manuſcripta Alphonſi Rodriguez.

MEDITATIO I.

De Regno IESV Chriſti.

Ab hac Meditatione, Hebdomadam ſecundam Exercitiorum ſpiritualium, S. Pater orditus eſt.

Oratio præparat: & Præludium I. ex Exercitijs S. Patris deſumendum, ut ſpectare nos imaginemur Synagogas, villas, & oppida, quæ prædicans Chriſtus pertranſibat.

PRÆLUDIUM IIᵘᵐ itidem ex S. Patre, ad gratiam poſcendam, nempe petere à Deo, nè obſurdeſcamus, vocante nos Chriſto, ſed ad ſequendum & obtemperandum prompti ſimus.

PUNCTUM I. Conſidera: ſi Rex aliquis divinitus electus in Principem, & Ducem omniũ Chriſtianorum, omnibus dotibus regijs ornatus, ſvaderet ſuis ſubditis, ut cum eo ad ſubjugandos infideles, magna ſibi damna, & illis majora inferentes, ad bellum pergerent, promitterétq; illis ſe ad omnia incommoda primum futurum, nec aliter victurum, nisì ſicut illi, nec triumphaturum ſinè gloria eorũ. Quid ſubditi illi tam bono Regi reſponderent? quomodo ſe illi ad omnia offerrent? ſiquidem de fortunis eorum, & de illis ipſis, res ageretur. Sed quid ille Rex? Ecce, Dominus Jeſus Chriſtus, Filius Dei unigenitus, iſte de cœlo venit mittere gladium, indicit bellum mundo, carni, ſathanæ; perfidiæ, vitijs omnium hominum: alloquitur te, ut pergas cum illo ad hoc bellum; commeatum gratiarum ſuarum, immo & annonæ corporis ſui tibi ſuppeditat. Sudores, dolores, & vulnera tua, prior ſubire vult, primus ad ardua omnia præit tibi: tuũ duntaxat erit, ſequi illum. Non alio cibo viſcêris, non alijs veſtimentis & inſignibus veſtieris, nisì quibus ille; poſt bellum, ipſe imponet tibi coronam. Quid ergo Regi huic tuo reſpondebis? quomo

modo eum non ſequeris? quomodo non indices amori proprio, & ſenſualitati tuæ bellum? Alloquere itaque Dominum tuum, & dic; ut olim Ethai ad Regem David: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam, in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus* 2. *R c,15.*

II. Audi Chriſtum Regem in particulari proponentem tibi, in quo eum imitari debeas. 1. in abnegatione tuiipſius. 2 in portanda cruce omnium adverſitatum. 3. in vera ſpiritûs paupertate, caſtitate, obedientia, &c. Reſponde ergo Regi tuo, & dic:

En, ô Rex ſupreme, ac Domine univerſorum, tuâ, ego licet indigniſſimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitùs offero, meáque omnia tuæ ſubiicio voluntati, atteſtans coram infinita bonitate tua, in conſpectu glorioſæ Virginis Matris tuæ totiúſq; curiæ cœleſtis, hunc eſſe animum meum, hoc deſiderium, hoc certiſſimum decretum, ut quàm poſſum proximè, te ſequar, & imiter in ferendis injurijs, & adverſis omnibus, cùm verâ ſpiritûs, tum etiam rerum paupertate.

III. Audi Chriſtum Regem exquirentem à te, quam mercedem, pro laboribus, cum eo toleratis, habere velis? reſpondéque Domino tuo: nolo mi Domine quidquam aliud, niſi teipsũ; hoc eſt, intimam notitiam, & amorem tui, procul conſolationes non ſolùm mundanæ, ſed & ſpirituales, procul omnis æſtimatio, &

commoditas. Tu mihi ſolus, es adæquata merces. Te mihi ſolum da, & ſufficit. Proteſtor inſuper Domine mi, quòd nec gloriam æternam velim, quatenus bona mihi eſt: ſed quia dignus es, ut per gloriam meam tu glorificeris, & in æternum ameris à me, ab omníque creatura. Fac ergo Domine mi, ut vivam ego, jam non ego, ſed tu vivas in me.

In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

DOCTRINA PRACTICA

Tempore matutino, diei ſextæ, relegenda.

De æſtimatione, & amore Vocationis Religioſæ.

Gratiam Vocationis Religioſæ, eſſe donum Dei præſtantiſſimum, & gratiam gratiarum, ſic declaro.

Primò, quia eſt gratia ſecundi Baptiſmi, ut docent SS. Patres, & cum illis S Thomas. 2. 2. *q. ult. a.* 3. aſſerens: Religioſum, ſi poſt emiſſionem trium votorum religioſorum, ſtatim moreretur, ſtatim rectà ad cœlum evolaturum, non ſecus, atque is, qui ſuſceptô Baptiſmô ſtatim moreretur. Hac occaſione innuo praxim utiliſſimam, poſt ſingulas confeſſiones Sacramentales renovandi vota religioſa: hæc enim Religioſorum votorum renovatio ad abolendam pœnam peccatis debitam magnæ eſt efficaciæ, & fortè tantæ, quantæ eſt prima eorundem nuncupatio: Se-

Digitized by Google

Secundò, quia gratia vocationis religioſæ, eſt gratia cujuſdam martyrij, cum hoc ſolo diſcrimine, juxta S. Bernardum *ſerm.* 30. in Cant. quòd vitæ Religioſæ Martyrium, horrore ſit mitius illô, quô corpus perimitur: ſed diuturnitate ſit moleſtius, ſitque per modum cujuſdam holocauſti, quòd lentè concrematur.

Tertiò, quia gratia vocationis religioſæ, eſt infallibilis arrha, & irrefragibile privilegium vitæ æternæ, neq; enim fallere aut falli poteſt Veritas ipſa, quæ tamen univerſaliter pronuntiavit; *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Præ alijs autem Religionibus, id conferre dignata eſt divina bonitas Societati noſtræ, quòd perſeverantia in illa ſit ſemper connexa cū dono perſeverantiæ in gratia finali, & cum æternitate ſancta; juxta revelationem S. Franciſco Borgiæ factam, quam typis vulgârunt, P. Nicolaus Lancicius *in Tract. de Inſtitut.* Soc. *affectu* 98. & Pater Michaël Staudacher, in libello cui titulus: *Centum affectus amoris divini.*

Quartò: quia ſequi gratiam vocationis religioſæ, & inire ſtatum religioſum, eſt ſumma hujus vitæ beatitudo, & ſalvatio ſalvationi æternæ prævia. agnovit veritatem hanc, ſed ſerò, nam ante mortem, *Anno* 1652. Pragæ R. D. Joannes Janderus, Brunæ dimiſſus *Anno* 1644. qui poſt multa infortunia, cùm extremū

diem ſibi imminere cerneret, expetijt Confeſſarium è Societate, per quē ſupplicavit Patri V. Provinciali, ut ante mortem vota Societatis emittere poſſet; quod & fecit multis cum lachrymis: dein inter cætera, teſtamenti locô, hæc ſcripſit, & conſignavit: *Teſtor Societatem IEſu eſſe beatitudinem terreſtrem, ità ut ſi alia ſperanda non eſſet, iſta ad hominem omni beatitudine cumulandum, ſufficiens foret. Teſtor illam eſſe margaritam, quam ſi ego auro, & ſanguine redimere poſſem, auro & ſanguine redimerem.* | Et hæc verba ab iſto homine, non ſola mors, ſed veritas extorſit: cùm enim beatitudo ſit ſtatus omnium aggregatione bonorum perfectus, atque in re nihil aliud ſit, quàm cognitio & amor Dei; beatitudo hujus vitæ conſiſtit in cognitione & amore Dei proportionato huic vitæ: in quo autem ſtatu eſt major cognitio & amor Dei, quàm in ſtatu Religioſo?

Quintò, quia deficere à gratia vocationis religioſæ, & à ſtatu Religioſo, eſt Summa hujus vitæ infelicitas, maledictio, & damnatio prævia damnationi æternæ. Veritas hæc per naturalem ſequelam, ſequitur ex præcedente: cùm enim oppoſitorum oppoſita ſit ratio: ſi inire ſtatum religioſum, eſt ſumma hujus vitæ beatitudo: deficere ab illo, ſuma erit hujus vitæ infelicitas. Hanc infelicitatem S. Bernardus, de modo bene vivendi *cap.* 20. melliflué licèt, plenis tamen amaritudine verbis ſic expreſſit;

preſſit ; *Qui congregationem ſanctam relinquunt , & ad ſacularem vitam deſcendunt , à Societate Dei elõgantur, atque dominio diaboli ſubjugantur.* | Non deſunt Hiſtoriæ, idipſum comprobantes. *A 1575.* Viennæ Auſtriæ moriens unus è noſtris , ante ipſum agonem, renidenti vultu ſubridere cœpit : non ferens inſvetam hanc, in tam nubilo mortis tempore, ſerenitatem, is qui moribundum diſponebat , ait ; Non eſt tempus ridendi, frater mi, ſed judiciũ Dei præſtolandi. Cui ille ; nè quæſo, turbet te hæc mea hilaritas, Pater : Angelus Cuſtos meus, oſtendit mihi ignitum montem , & plurimos in eo damnatos , dixítq; mihi, eos eſſe omnes dimiſſos è Societate : cùm ergo ego, per gratiam Dei, moriar in Societate , ſuperabundo gaudiô. ſic ille quidem anticipatò obtinuit promiſſum illud Chriſti ; *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis; Luc. 7* Sed ſimul confirmavit illud , nè ſanguineis quidem lachrymis eluendum illud : Qui à Societate Dei elongantur, dominio diaboli ſubjungatur.

Tanti igitur eſt coram DEO gratia vocationis Religioſæ , ut meritò gratia gratiarùm dici poſſit, ad quam dignè obſervandam , hæ poſſunt Religioſo ſubſervire praxes :

I. Non tantùm ipſam vocationem religioſam plurimi æſtimare , & amare , ſed etiam omnia connexa cum illa , nempe omnia præſcripta à Religione , quamvis videantur exigua : cùm enim acceſſoria ſequantur naturam prin-

principalis, cui placet principale, eidem placere acceſſoria, neceſſe eſt

2. Paratum eſſe, ad omnia ardua, moleſtáque toleranda, pro vocatione, & cum vocatione, Sic erat paratus B. noſter Aloyſius, de quo P. Mutius Vitelleſcus Generalis, in quadam exhortatione Romæ habita (ùt legi in manuſcriptis P Gaſparis Druzbicki) retulit, ſe ex ore ipſius audiviſſe reſolutionem ejuſmodi: ſi per unum tantùm momentum, in Societate eſſe debuiſſem, & per inferni pœnas, ad id pervenire me oportuiſſet elegiſſem illas, Pater, ut in Societate eſſem.

3. Devovere ſeipſum Religioni in mancipium, ac jumentum, cum omnibus obligationibus, mancipio ac jumento competentibus. Uſus eſt praxi hac Pater memoratus Gaſpar Druzbicki, ùt adnotavi in vita ejus, *cap.* 11. fecerat enim in quadam proteſtatione, talem cum Societate contractum: *tuum erit, ô S. Societas, imperare mihi abjectiſſima, & viliſſima; meum erit obtemperare abſq; mora, murmure, excuſatione, differentia, &c. Nolo rationem mei haberi in ulla re, &c. Nolo pro laboribus ullis meis, ullam gratitudinem oſtendi; ſed omnia tãquam mancipii opera ſepeliri, ac contemni. Licebit tibi poſt vires, & annos exhauſtos, me à conſortio tuo arcere, ſordibúſq; ſolis everrendis, aut pecudibus curandis deputare. Licebit tibi, me morbo afflictum, vel morti vicinum, omni ſola-*

tio

tio corporali deſtituere; & tanquam canis vete-rarij ulcus non curare; licebit tibi, meum cada-ver, ſepulturâ aſinorum, & beſtiarum, vel inhu-matum abjicere, vel in ſterquilinio ſepeliri ju-bere. O Mancipium; libertate Filiorum Dei digniſſimum!

4. Ex amore vocationis religioſæ, veſtem religioſam exoſculari, quoties induitur, exui-túrque. Cui exoſculationi adnexa eſt indul-gentia, ùt videre eſt apud Lezanam, Verbô: *Habitus.* Et verò quidni appreties, deoſcu-leríſque religioſe, veſtem tuam, cùm hæc ſit veſtis nuptialis, in qua à convivio cœleſti non excluderis: & ſcito te, in pullo Societatis ve-ſtitu cœli fore candidatum.

5. Ex horis Canonicis (ſi Sacerdos es) unam deputare, quam offeras, ad agendas Deo gra-tias pro vocatione: ad impetrandam perſeve-rantiam in ea, & ad ſatisfaciendum pro ingra-titudine circa illam.

6. Pretioſiſſimæ Dei Parenti, & S. Angelo Cuſtodi ſpecialiter addictum eſſe. ità enim cenſebat P. Leonardus Leſſius, verè Theolo-gus, ùt ſcribitur in vita ejus, devotionem ad B. V. & ad Angelum Cuſtodem, ad perſeveran-tiam in Societate Jeſu plurimùm habere mo-menti: quâ etiam intentione quotidie Litani-as, ad B. Virginem recitabat:

7. Ex amore vocationis, in quolibet Sacro, tempore communionis vota renovare.

8. Quoties pulſus datur ad ſalutandam B V.

nem-

Google

nempe manè, meridie, & veſperì, ex amore vocationis, vota ſic renovare; dicendo: *Angelus Domini, &c.* renovare votum Angelicæ Caſtitatis. Dicendo: *Ecce Ancilla Domini, &c.* renovare votum obedientiæ. Dicendo: *Et Verbum Caro factum eſt*, renovare votum Paupertatis.

9. In Litanijs, de omnibus Sanctis, quotidie recitari ſolitis, ad illa verba: *Vt nos in tuo ſancto ſervitio confortare, & conſervare digneris*, pectus tundere, donúmque perſeverantiæ in religione, expetere: tali enim tunſione ſi fiat ex animo, roborantur dona Dei.

DIEI SEXTÆ
MEDITATIO II.
De duobus Vexillis.

Inter Meditationes ſecundæ Hebdomadæ, hæc quarta ponitur à S. P. Noſtro, in qua eidem revelavit Deus, totam ideam atque ſtructuram integram Societatis, ſicut ipſemet S. Pater retulit Patri Mercuriano, & hic, in publica Romæ Exhortatione narravit.

Oratio præparatoria conſveta.

Præludia accipiantur ex Exercitijs S. Patris. Primum ſit, Hiſtorica quædam conſideratio, Chriſti ex una parte, & ex altera Luciferi, quorum uterque omnes homines ad ſe vocat, ſub vexillo ſuo congregandos.

Secundum, ad conſtructionem loci, ut repræ-

præſentetur nobis campus ampliſſimus circa Hieroſolymam, in quo Dominus Jeſus Chriſtus, tanquam bonorum omnium ſummus Dux aſſiſtat. Rurſum alter campus in Babylonia, ubi ſe Lucifer, malorum & adverſariorum Ducem exhibeat.

Tertium, ad gratiam petendam, ut poſſimus exploratas habere fraudes mali ducis, invocatâ ſimul divinâ ope, ad eas vitandas: veri autem optimíque Imperatoris, Chriſti, agnoſcere mores ingenuos, ac per gratiam imitari poſſe.

PUNCTUM I. Intuere per imaginationem in campo Babylonico, ducem impiorum, in cathedra ignea, & fumoſa, horribilem figurâ, vultúque terribilem, convocatos dæmones ſpargentem in totum Orbem, ad nocendum omnibus hominibus, detonantémq; ad miniſtros ſuos, & inſtigantem, ut injiciant hominibus catenas, trahántq; ad vitia, & demum ad conſortium damnationis æternæ. Perpende hæc: 1. *in campo Babylonico*, id eſt confuſionis & diſordinis. 2 *in cathedra*: locum enim altum appetit, & ſuis perſvadet. 3. *igneus eſt*: ignem enim concupiſcentiæ & iræ omnibus intimat. 4. *fumoſus eſt*, fumóſq; vanitatis alijs propinat. 5. *horribilis*, & tamen à quibuſdam amatur: vide deinde, quàm multi ad eum accurrant. Tu igitur víſne ſequi illum? vide, an aliquid ejus ſit in te? an te non teneant cate-

si Deus est Baal sequimini

næ

Digitized by Google

næ ejus aliquæ? an non obfuſcavit te fumo vanitatis, inquietudine, umbroſitate, appetitu apparẽtiarũ, murmuratiõe, &c. vide & corrige.

II. Intuere per imaginationem Chriſtum, in amæno campo, juxta Hieroſolymam, humili conſtitutum loco, valdè ſpecioſum formâ & aſpectu ſummè amabilem, mittentem diſcipulos ſuos per orbem, ut omni hominum generi doctrinam ſalutarem communicent: adhortantémq; eos, ut quemlibet juvent, adducántq; primò, ad ſpiritualem affectum paupertatis; &, ſi ità viſum fuerit Deo, ad actualem paupertatem; deinde ad opprobrij, contemptúſq; deſiderium & conſequenter ad humilitatem. Perpende ſingula. 1. *in regione Hieroſolymitana*, id eſt, viſione pacis: non eſt enim pax ſinè Chriſto. 2. *In campo patentiſſimo*: diligit enim Chriſtus latitudinem cordis. 3. *in humili loco*: humilibus enim delectatur in terra: ſublimia ad cœlum reſervat. 4. *perſona ejus ſpecioſa* & amabilis: nullũ enim repellit, nullum deſpicit. Vide deinde, quàm pauci accurrãt ſub vexillum ejus. Vocavit te jam, religioſe, Chriſtus ſub vexillum crucis ſuæ, inſtruxit te, tanto tempore, ad bella Domini, quomodo igitur hactenus militâſti? quomodo tentationibus dæmonum reſtitiſti? quam gloriam duci tuo attuliſti? vide, dole, & corrige.

III. Audi dicentem Deum, per S. Joannem, *Ep. 1. c. 2. Qui dicit, ſe in Chriſto manere; debet,*

bet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Hoc audiens, conſidera individuos Chriſti comites, 1. defectum omnium rerum temporalium. 2. laborem, & cum labore ſterilitatem: tam enim paucos reliquit diſcipulos. 3. perſecutionem ab omnibus, & adverſitates omnes. Si Chriſti es, debes cum talibus comitibus ambulare uſque ad mortem.

Colloquium I. Fiat ad B. V. implorando per eam à Filio gratiam, ut ſub ſanctiſſimo ejus vexillo manere, & ad mortem perſeverare poſſis. terminabitur hoc colloquium, per Ave Maria, &c.

Colloquium II. ad Chriſtum hominem, ut tibi à Patre impetret igem, ſubdaturque in fine, Anima Chriſti, &c.

Colloquium III. ad Patrem, ut annuat petitioni; cum Pater noſter, &c.

In fine adora profundiſſimè ſanctiſſimam Trinitatem.

HORA CONSIDERATIONIS, Tempore pomeridiano diei 6tæ.

De excelſis cogitationibus, & Actibus heroicis, Filiorum Dei.

Magnus olim ſpiritualis doctrinæ Magiſter, P. Balthaſar Alvarez (de quo revelatum erat S. Thereſiæ, quòd illo tempore, quô ille vivebat, nullus illô perfectior, in Eccleſia Dei eſſet) inter complura vitæ ſanctioris axiomata,

xiomata, etiam hoc Novitijs ſuis inculcare ſolebat? non degenerandum eſt ab excelſis cogitationibus Filiorum Dei: ut ſcribitur in vita ejus. Doctrinam hanc ità imbiberat Novitius ejus, Franciſcus Perez, unus è quadraginta Societatis noſtræ Martyribus, quorum modò Canonizatiô procuratur, ut in ipſo cædis, mortiúmque calore, id ſocijs identidem inclamaverit: *Eja fratres, non degeneremus ab excelſis cogitationibus Filiorum Dei.* Adnotavit id P. Joann. Nadaſi, Anno dierum illuſtrium. *15. Iulij.*

Fundatur autem doctrina hæc, primò, in illo, *Pſal.* 81. *Ego dixi, Dij eſtis, & Filij excelſi omnes.* deinde in ijs verbis *Sap. 5. Cogitatio illorum apud altiſſimum*, & tandem in promiſſo Chriſti: *Ioan.* 12. *Ego, ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum* Si ergo Religioſi ſunt Filij excelſi, uti ſunt; nō debent degenerare ab excelſo ſpiritu, & conſequenter ab excelſis cogitationibus. Si itèm Religioſi ſunt juſti, uti debent eſſe, cogitatio illorum debet eſſe apud altiſſimum, proindéq; excelſa. Si deniq; Religioſi ſunt pertracti à Chriſto exaltato à terra: cogitationes eorum debent eſſe exaltatæ, ſeu excelſæ. Per cogitationes verò hìc, non ſoli actus intellectûs intelliguntur; ſed etiam actus voluntatis, & reſolutiones heroicæ; quas ad tria capita reduco: nempe, ad agere, ad pati, ad omittere.

Pri-

Digitized by Google

Primum caput excelſarum cogitationum, à Filijs Dei haberi ſolitarum, eſt, Agere, hoc eſt, 1. elicere deſideria ardentia, & inſatiabilia, tolerandi injurias, probra, & omnis generis adverſitates. hoc deſiderium, in Chriſto Filio Dei naturali, totâ vitâ perdurabat, quod colligunt SS. Patres ex verbis ejus; *Luc.* 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſquedum perficiatur!* Deſideria itaque prædicta ſunt cogitationes filiorum DEI excelſæ, utpote in Chriſto Filio Dei ſublimatæ, & deificatæ. 2. gloriari in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti; hoc eſt, gaudere, & honori ducere omnes diſhonores, contemptus, injurias, perſecutiones, &c. gloriationem hanc, eſſe excelſam Filiorum Dei cogitationem, probârunt Fratres Domini Jeſu, Apoſtoli, qui *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quòd digni eſſent pro nomine IESV contumeliam pati.* 3. Peculariter affici inimicis, omnibúſque, qui aliquando moleſti exſtiterunt, ferventi charitate eos diligere, gratias ſingulares eiſdem à Deo expetere, & omne malum ab illis, & oratione, & re, depellere conari. Hæc cogitatio verè excelſa, quia à Filio Dei pro crucifixoribus orante, in cruce eſt, exaltata. 4. Statuere ſeipſum centrum odiorum totius mundi, maledictorum, calumniarum, detractionum, cruciatuum, cum tota intenſione, & duratione eorum. Et hæc cogitatio excelſa eſt; ſuperat enim totum mundum, totáq;

na-

naturam, uſitata Filiis Dei, qui pro nobis factus eſt maledictum. 5 velle alienos defectus ſibi attribui, ſub nomine ſuo vulgari, excuſationes ſuas non recipi, à Superioribus damnari & puniri: ex meris ſuſpicionibus, ſiniſtris relationibus, confictis conjecturis traduci: & tandem facere omnes abſolutos famæ ſuæ Dominos, quantum in ſe eſt, nullóq; modo ad reſtituendum obligatos. Excelſam hanc cogitationem eſſe, probat ſeipſo Filius Dei, mortuus propter peccata noſtra, accuſatus ex confictis criminibus, damnatus, &c. 6. Contentiſſimum eſſe, quovis etiam ignominioſiſſimo, moleſtiſſimóque officio, à Superioribus injuncto, omni item loco, Superiore, cubiculo, &c. ſicut filius Dei contentus fuit permoleſtô circa peccatores ſalvandos officiô, latibulô Ægypti, & Nazarethanô: contentus Præſidibus, quamvis ſceleratis, ſuíque perſecutoribus

Alterum caput, excelſarum cogitationum Filijs Dei uſitatarum, eſt, pati cruces omnis generis, & à toto univerſo: pati omnes permiſſiones Dei: omnes omnium dæmonum infeſtationes: omnes omnium hominum injurias: pati in corpore & anima, in fama, & quibuſvis alijs bonis: pati per linguas, calamos, ſuſpiciones, judicia, murmurationes, irriſiones, &c. pati autem innocenter, ſinè remurmuratione, ſinè appetitu vindictæ, etiam à Deo faciendæ: pati quamdiu libuerit Deo. Caput hoc excelſarum

rum cogitationum, ſummum obtinuit gradũ, in Filio Dei, paſſo in carne noſtra, ad cujus imitationem hortatur nos primus ejus in terris Vicarius. 1. *Petri* 4 *Chriſto paſſo in carne & vos eádem cogitatione armamini.* Per talem cogitationem, reſolutionémque citiſſimè ad præaltum perfectionis faſtigium pertingitur, juxta effatum S. P. N. Ignatij, qui Patri Hieronymo Natali quærenti, quâ viâ citò ad perfectionem venire poſſet? reſpondit: Si eum, Dei beneficiô, multa pati contingeret: quæ verba, fundens lachrymas, S. Pater dixit Patri Natali, & is poſtea Fratri noſtro Paulo Cicotto, viro integerrimo, qui idem retulit R. P. Lancicio, ùt ipſe ſcribit *in Opuſc. oct. coll. c.* 22.

Tertium caput excelſarum cogitationum, in Filijs Dei reperiri ſolitarum, eſt omittere, ſeu negligere, hoc eſt: 1. nullam laudem, aut gratitudinem, ab ullo, pro quacunq; re, ſperare, deſiderare, aut de ea oblata complacere. 2. à nullo ex Superioribus, æqualibus, & inferioribus, ullam ſui rationem reſpectúmq; ob ætatem, officia, merita haberi velle. 3. à nullo hominum conſilia ſua, intentáque probari velle. 4. apud nullum hominem gratiam aucupari, quærere, curare; nolléque ut ulla creatura ſe amet, ſed potiùs omnis oderis; in doloribus ſuis gaudeat, gemitus ſuos non curet. 5. ſilere in delationibus, & accuſationibus nec ſe excuſare ullo modo, niſi in damnum gloriæ Dei,

Dei, boniq; communis cedat. Nunquam itèm afflictiones ſuas ulli exponere, nec deſiderare, ut innocentia ſua ab alijs ſciatur. 6. ab omni officio, & actiõe, in ipſa ultima manûs illi impoſitione, ad nutum Superioris ſtatim recedere etiam cum ignominia, & aliorum inſultatione. 7. ſibiipſi non compati, nullúmq; dolorem promere. 8. nullam commoditatem ex ulla creatura quærere. 9. nihil, coram alio, in laudem ſui, narrare, ſed penitùs, ſe & ſua, neſciri velle. 10. nunquam inquirere, de applicatione ſui ad aliquod Officium, & neſcire omnia, ad ſe non pertinentia. Tales omiſſiones, & negligentiæ, fuerunt in filio Dei, qui non ſolùm neglexit, ſed etiam exinanivit ſemetipſum. Cujus altiſſimo exemplo, adjungo, exiguæ appendicis inſtar, id quod legi in manuſcriptis Patris Gaſparis Druzbicki, de Patre Laurenrio Susliga, celebri olim Concionatore: qui cùm à quodam Provinciali, ex cathedra Leopolienſi, in qua cœperat concionari, amotus fuiſſet, & miſſus eſſet Luceoriam, ad idem officium; eámq; humiliationem ùt alijs vſuebatur, &, ùt illi à quibuſdam inſultabatur, moderatô ac religiosô animô tuliſſet, in eo ipſo loco, à Deo & primùm, & maximè exaltatus, & tam regno, quàm Societati oſtenſus fuit: cúmque ex illo loco eſſet abiturus, vidit in ſomnis B. Virginem, cum puero Jeſu, qui ait illi; *Pete à me quidquid vis*: tum ille. *Mi*

Do-

Domine, quid petam aliud, quàm ut tecum ſim in æternum. reſpondit puer Jesus; *Eris.* ait ille; *Domine, non ſatis credo: nam ſum miſer peccator.* tum Dominus Jesus; *do tibi, inquit, manū meam, quòd futurus ſis mecum in æternum.* apprehendit ille manum ſanctiſſimi Pueri, & evigilavit. Hæc ex ipſo Patre Laurentio audivit P. Gaſpar 1623. 27. *Novemb.* Godovij, ubi ſimul manebant tempore peſtis Lublinenſis; & loquebantur de illo genere viæ & vitæ ſpiritualis, quod negligentia appellatur; quæ eſt cogitatio Filiorum Dei, ſeu eorum, qui cum Jesu Filio Dei futuri ſunt in æternum. Dum, Religioſe, cogitationes has legis, ità lege, ut eas habeas, ſi Filijs Dei vis adnumerari.

DIEI SEXTÆ

MEDITATIO III.

De eligendo vitæ perfectæ, in Religione, ſtatu.

Modum electionis faciendæ proponit S. Pater, poſt duodecimam diem Hebd. ſecundæ.

Oratio præparat: & PRÆLUD: I. idem quod Medit: primā, diei primæ.

PRÆLUD: II. Pete à DEO gratiam, vivendi in numero perfectorum Dei ſervorum.

PUNCT: I. Alloquere Dominum Deum tuum: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Et conſidera beneficia Dei innumera, quæ tibi præſtitit Deus ab inſtanti

vocationis tuæ ad Religionem, ad hoc uſque tempus, ea beneficia nemo meliùs nôſſe poteſt, quàm tu ipſe. Expende finem, ad quem vocatus es: adduc in memoriam media ſalutis, quibus in Religione abundas, ità ut neminem incuſare poſſis, de tua, à fine tibi præfixo remotione, niſi teipſum, non utentem, vel malè utentem medijs. De his ergo coram Deo te accuſa, cum propoſito emendationis.

II. Dic Domino, cum Ezechia. *Iſa 38. Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ*. Et ſtatue ob oculos tuos, ſimúlq; in conſpectu Dei, vitam tuam hactenus in religione tranſactam. Vide, quos fructus, vel potiùs quæ damna hujus vitæ habeas? quàm indies elongeris à perfectione? quàm vicinus ſis lapſibus gravibus? immo quàm dubius, nè in eis ſis Chriſto Domino & regulis tuis difformis? &c. Ideóne te Deus vocavit ad hunc ſtatum? confundere coram Deo, & dole.

III. Audi Deum dicentem: *Iſaia 48. Servus meus es tu Iſraël, &c in te gloriabor*. Et conſidera, quanta ſit honeſtas, utilitas, & ſvavitas exacti ſervitij divini, non ſolùm coram Deo, & conſcientia propria, ſed etiam coram externis? Quanta hinc erga Deum fiducia! quanta pax mentis! quanta ſecuritas in vita, & morte? quanta communitatis ædificatio? quanta gratiarum, benedictionum, protectioníſque divinæ aſſiduitas? quanta æternæ beatitudinis certitudo? His

Digitized by Google

His ità expenſis, ità cum animo tuo ratiocinare:

1. Si quis te conſuleret, cui optimè velles, quánam ratione, in religione vivere deberet, quid illi ſvaderes? hoc ergo ſvade, & perſvade tibi; nè dicatur tibi: qui alium doces, cur teipſum non doces?

2. Si mors nunc ingrueret tibi, qualem in religione vitam vixiſſe velles, qualem vixiſſe nolles? nunc ergo dum tempus eſt (& quantum ſit, non nôſti) illam elige, iſtam neglige.

3. Si jam in judicio Dei ſtaturus eſſes, qualem vitam vixiſſe velles? qualem tibi, apud judicem, & Aſſeſſores ejus, in tali paſſu profuturam, & qualem obfuturam cenſes? hanc ergo relinque, illam delige.

4. Quid à te factum voles, quando in purgatorij flammis ardebis? quid factum voles, quando ad conſpectum digniſſimi omni amore Dei, venies beatificatus? pœnitebit te, tanto bono, tantæ dignitati, Deo, tam abjectè ſerviviſſe. Quid factum voles inter tot millia perfectiſſimorum DEI ſervorum conſtitutus? hoc, ſi ſapis, nunc facito.

5. Frivolæ ſunt cauſæ, quæ te à perfectæ vitæ ſtudio, in Religione remorantur, hæ enim ſunt. 1. horror difficultatum, vincendiq; ſeſe. 2. Fuga vigilandi ſuper ſe. 3. Metus privandi ſe levibus ſolatijs. 4. Metus diſplicendi alijs, ſimilibus tibi, in neglecta vita. 5. Metus

Digitized by Google

linguarum irridentium, carpentium, quòd te illis non accom̃odes. Hæc & ſimilia, vide, an tibi in articulo mortis, & coram Judice Deo, ſint ſuffragatura? quid reſpondebis Chriſto dicenti tibi: Hæcne tanti erant, ut me, qui tanta tibi feci, his poſtponeres?

In fine, fac particularia propoſita.

In Colloquio dic: Fons omnis perfectionis, Domine, qui dediſti velle, da & perficere. Demum Pater, Ave, & Anima Chriſti.

DIES SEPTIMA.

Sancto Franciſco Xaverio conſecranda.

Actus jaculatorius hujus diei erit iſte: *Amor meus crucifixus eſt!* S. Ignatius Martyr. in Epiſtola ad Romanos.

MEDITATIO I.

De Paſſione Chriſti Domini.

Huic materiæ conſiderandæ, integram Hebdomodam tertiam Exercitiorum ſuorum deſtinavit S. Pater Ignatius.

Orat. præp. conſveta: Præluđ: I. Statue tibi ob oculos Chriſtum, ſic te alloquentem: *Vide homo, quæ pro te patior! non eſt dolor, ſicut quo crucior, &c. & ſuper hoc eſt pœna gravior, quia te tam ingratum experior.* S. Bern.

PRÆLUDIUM II. Pete à Chriſto Domino gratiam, ut in te intimè exares dolores paſſionis ejus.

PUNCTUM I. Intuere, Chriſtum Dominum

num paſſum, tanquam objectum confuſionis, increpationiſq; imperfectionum, & negligentiarum tuarum: Et audi illum tibi dicentem; 1. Ego viliſſimè æſtimor, ac vendor: tu autem appretiari cupis. 2. Ego ad pedes Judæ jaceo: tu inimicos perſequeris. 3. Doctrina mea examinatur, & traducitur: tu talentatus ab omnibus haberi vis. 4. Ego uſque ad ſudorem ſanguineum oro: tu tam acediosè. 5 Ego falſa teſtimonia, & iniquas accuſationes ſuſtineo: tu nec vera, de te, vis audire. 6. Ego opprobrijs ſaturor; tu vis honoribus, & æſtimationibus oppleri. 7. Ego flagella ſubeo; tu autem religioſæ impatiens es diſciplinæ. 8. Ego in ſpinis; tu vis eſſe in commoditatibus omnimodis. 9. Corpus meum unum vulnus, & ulcus: tu non vis ullam violentiam, & afflictionem corpori tuo inferre. 10. Mihi velantur oculi: immodeſtia tua aperit tuos. 11. Ego felle, & aceto potor: tu cibos & potus ſapidos quæris. Confundere ad hæc omnia & ad alia, quæ paſſus JESUS, vitijs tuis opponit, tolléque illa ex animo tuo.

II. Intuere Chriſtum Dominum paſſum tanquam ſpeculum omium virtutum religioſarum. 1. tractatur & conculcatur ad inſtar vermis, Barabbæ poſtponitur, inter latrones ſuſpenditur: quanta humilitas! 2. veſtibus exſpoliatur, moriens non habet ubi caput reclinet, quanta paupertas! 3 allegatis multis ca-

Digitized by Google

lumnijs, in materia tamen caſtiratis, neque per malitiam, in ullo arguitur: quanta puritas! 4. obediens uſque ad mortem: quanta obedientia! 5. oſculatur Judam, pro crucifixoribus orat, quantus inimicorum amor! 6. tacet uſque ad admirationem Pilati, quantum ſilentium! 7. ſub cruce fatiſcit: quantus labor pro gloria Dei! 8. conciliat Herodem Pilato: quanta amoris ſolertia! 9. vigilat totâ nocte, pendet in cruce, conſputus, colaphizatus, ſpinis coronatus, clavis confixus moritur: quanta mortificatio! vide ergo hoc exemplar, quod monſtratum eſt tibi in monte, & te conforma illi.

III. Intuere Chriſtum Dominum paſſum, tanquam objectum quietationis, contentationiſque tuæ, & dulcorationis amaritudinum in quacunq; occaſione, & circumſtantia ſervitij divini, tibi occurrentium. Gravis eſt tibi ſeveritas & diſciplina religioſa? dulcorat illam tibi Chriſtus, flagellis, ſpinis, clavis ſuis. Graves ſunt linguæ, infamationes, falſæ delationes, ſuſpiciones? dulcorat illas tibi Chriſtus, jactis in ſe blaſphemijs, falſis accuſationibus, detractionibus, calumnijs, irriſionibus. Graves ſunt Superiores? dulcorat illos tibi Chriſtus, ſuâ damnatione per Annam, Caipham, Pilatum &c. nunquid hi non graves illi fuerunt? graves tibi cibi incocti, inſulſi, viles, inſufficientes. dulcorat illos tibi Chriſtus, felle & aceto ſuo, &c. ipſe judica, cui potiùs conveniant talia;

talia; Chriſto, an tibi? hoc expende, & omnia gravia, abhinc ſint tibi pro Chriſto levia, & dulcia.

Colloquium Iuſtitue ad Dominum Jesum, per Orationem illam, reflexè, atque cum intimo affectu recitatam: Anima Chriſti ſanctifica me: & In fine, Pater, & Ave.

DOCTRINA PRACTICA
Tempore matutino, diei ſeptimæ, relegenda.
De obligatione, & ſupererogatorio conatu, ſemper proficiendi.

Certum eſt 1. quòd in via Dei non proficere, ſit deficere; non progredi, ſit regredi, non tendere ad perfectionem, ſit retrocedere. Conveniunt in hoc SS. Patres, ex quibus S. Auguſtinus Epiſt: ad Demetriam, ità loquitur; *tamdiu non relabimur retrò, quamdiu ad priora contendimus: at, ubi cœpimus ſtare, deſcendimus noſtrúmque non progredi, reverti eſt.*

Certum eſt 2. Religioſum ſub peccato mortali teneri tendere ad perfectionẽ; doctrina hæc eſt communis Theologorum, cum S. Thoma. 2 *2da q 184. ar. 4 & 5* Nam Status religioſus eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, ſeu eſt via ad perfectionem. Sicut ergo ſub mortali Religioſus, tenetur eſſe Religioſus (id enim nuncupans vota religioſa promittit Deo) ità ſub mortali tenetur tendere ad perfectionem

Deinde, quia Religioſus non tendens ad perfectionem, committit peccatum ſimulationis, mendacij, & hypocriſeos, in materia gravi: ſtatus enim religioſus promittit omnibus, & oſtendit ſanctitatis, perfectioníſque curam, ideóque habet reverentiam apud omnes, etiam ſummi ſtatûs homines, & privilegia in omni jure maxima. Si igitur aliter ſe haberet religioſus, certè non eſſet immunis à peccato impoſturæ, in re gravi.

Certum eſſe videtur 3 quòd religioſus peccaret mortaliter contra præceptũ tendendi ad perfectionem, ſi eſſet efficaciter reſolutus, non niſi ea ſervare, ad quæ ſervanda obligatur ſub mortali: reliqua verò, venialiter ſolùm, aut ſub nullo præcepto obligantia, paratus eſſet non ſervare. Docent id graviſſimi Patres, nec in doctrina ſolùm Theologica, ſed & in ſpiritu religioſo eximij, Suarez, & Sanchez, aliíque. Quãvis enim talis reſolutio, ſed & tale animi decretum, in ſeipſo ſpectatum, non ſit mortale ſicut & propoſitum committendi omnia peccata venialia, in ſe præcisè ſpectatum, non eſt mortale; ratione tamen periculi proximi incidendi in peccatum mortale, etiam illud ipſum animi decretum eſt mortale: Si enim Viri prudentes, dum concordi ſententia aſſerunt aliquid periculoſum eſſe, faciunt certitudinem moralem periculi proximi: multò magis dum Deus dicit. *Eccli* 19. *Qui ſpernit modica*

dica, paulatim decidit. Facit certitudinem periculi proximi perveniendi ad ruinam per modica violata: reſolutio autem ad periculum proximum ruinæ, ſeu peccati mortalis, eſt & ipſa mortalis.

Præterea, ùt bene explanat Sanchez, *lib. 6. de Decal. c. 4. n.* 18. Religioſus tenetur ſub mortali, taliter vivere, ut non ſit graviter ſuæ Religioni pernicioſus, inducendo alios Religioſos, ſuô exemplô, ad nimis relaxatam regulã, perturbandóq; ſuam Religionem ità, ut valdè expediat ſũæ Religioni, eum expellere: hæc autem damna inferret religioſus, habens prædictam reſolutionem: ſi enim nunquam vellet ſervare ſilentium, nec orare, nec modeſtè incedere, & ingrederetur omnium Religioſorũ cubicula, & ſimilia religionis ſtatuta tranſgrederetur, eò quòd ſingula hæc ad culpam non obligent; abſque dubio graviter perturbaret totam religionem, & ſe in eo ſtatu conſtitueret, ut eum tanquam incorrigibilem oporteret expellere. hactenus Sanchez.

Atque hæc de obligatione ſemper proficiendi: jam quæ ad ſupererogatorium (placentem tamen Deo) conatum attinent, perſtringo:

Primò, uſitatum eſt ſervis Dei, fervens, & continuum proficiendi deſiderium: ſunt enim è numero eorum, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, auſímq; dicere, quòd ſicut ex Sacramento Euchariſtiæ, tantus percipitur fructus, qu-

tum deſiderij igniti à Communicaturo adfertur, ùt docuit Deus S. Cathariuam Senenſem, *Dialog. cap.* 110. ità religioſum, in Via Dei ad perfectionem, tantos facturum paſſus, quantum de deſiderio proficiendi habuerit.

Secundò, ſolent aliqui ſervi Dei, ex deſiderio proficiendi, quotidie ſecum inire rationes, an profecerint, an verò defecerint? ſic, factitabat S. P. Ignatius (ùt ſcribit P. Ribad: in vita ipſius *lib. 5. cap* 1.) præſentem diem cum heſterno conferens, & cum profectu profectum, atq; ad hoc exactiùs præſtandum, ſuggeſſit illi Dominus examen particulare, tam ad eradicanda vitia, quàm ad implantandas virtutes aptiſſimum. Hoc divino inventu uſi Patres Noſtri, cœleſtes progreſſus fecêre. De P. Jacobo Granado, qui primus in Provincia Bætica, pro noſtris obtinuit facultatem recitandi Officium de SS. Sacramento, quavis Feriâ quintâ, 9. Lectionibus non impeditâ: in eádemque Provincia, primus fuit auctor recitandi Officium de Immaculata Conceptione B. V diebus Sabbatis: de eo, inquam, perhibet Bibliotheca Scriptorum Societatis, quòd ad ultimum uſque mortis diem, examen particulare inſtituerit, & profectũ etiã alienâ manu, cùm propriâ ob infirmitatem non poſſet, adnotaverit, idem ad nuntium mortis, elatis manibus, exclamavit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus*; viſurus nempe

Deum

Deum Deorum in Sion; qui tali invento examinis, ivit de virtute in virtutem.

Tertiò, non deſunt ſervi Dei, qui præter deſiderium addunt etiam votum ſemper progrediendi in via Dei, ſeu tendendi ad perfectionem. Tale Votum nuncupâſſe narratur P. Nicolaus Lancicius Societatis noſtræ, famâ ſanctitatis & miraculorum, in Regno Poloniæ, & magno Ducatu Lithvaniæ, clarus. Circa votum ejuſmodi, ſolius doctrinæ gratiâ, hæc innuo. Siquidem perfectio Chriſtiana conſiſtit in amore Dei ſuper omnia, atque ità tendere ad perfectionem, eſt tendere ad talem amorem, & quia talis amor Dei opponitur omni peccato, & habitibus vitioſis, paſſionibúſque immortificatis; & deſiderijs inordinatis: ideo is, qui vovit, ſemper tendere ad perfectionem, obligatur novâ obligatione ſub mortali, quodvis peccatum mortale devitare: obligatur quoque de novo, ſub veniali, vitare peccata venialia, paſſiones mortificare, & habitus vitioſos exſtirpare, ac deſideria inordinata refrænare. Obligatur inſuper exercere actus virtutum, juxta ſtatum vitæ proprium, præſertim verò actus amoris Dei ſuper omnia frequenter elicere.

Quartò, habet Deus etiam tales ſervos, qui ſtudio obtinendæ perfectionis, præter votum ſemper proficiendi, peculiari voto ſe obſtringuat, curandi & ſectandi ſemper id, quod per-

fectius illis videbitur. Tali voto obſtrinxerat ſe S. Thereſia, ùt perhibetur in ejus vita. De Patre quoque Joanne Beubeuf, Societatis noſtræ, refert P. Nadaſi, Anno dierum illuſtrium 16. *Martij*. eum, decem annis, ante diem mortis, voto nuncupato ſpopondiſſe Deo, ſe in ſingulis, quæ ageret, id quod perfectius eſſe intelligeret, curaturum. Compenſavit illi Dominus votum hoc, exquiſitiſſimo Martyrio; quod *Anno* 1649. ſubijt apud Hurones, in nova Francia, ab Iroqueis ethnicis. Nam capto illi, primùm evulſi ſunt ungues aliquot, & inflicta ſudibus verbera, per ſingulas corporis partes; tum præciſæ manus, os contuſum lapidibus, lingua aduſta, ad collum, & ad renes, igne candentes admotæ ſecures: ignitum è collo appenſum collare, adjectus cingulus, ex pice & reſinatis corticibus accenſus; circulo labra concerpta; truncatus naſus: in baptiſmi opprobrium, totus bulliente aqua perfuſus: tandem ad palum alligato detracta ſuperior pellis è vertice capitis; amputati pedes; caro è coxis, ad oſſa uſque, avulſa; mandibula ſecuri diffiſſa; ferrô uſtæ plagæ: diſſectum pectus, cor evulſum, atque à Barbaris devoratum: tam exquiſitam pro Deo nactus eſt mortem, qui eidem, exquiſito perfectionis voto conſecraverat vitam. Pudet, Domine Jeſu, hæc de ſervis tuis ſcribere, & legere, tam perfecta: pudet, inquam, nos, in imperfectionibus no-

noſtris deliteſcentes. & quando tandem earum finis erit?

DIEI SEPTIMÆ
MEDITATIO II.
De doloribus pretioſiſſimæ DEI Parentis.

Dolores hos innuit S. Pater in Myſterio Sepulturæ, puncto primo, his verbis: de cruce ſublatus eſt mortuus Dominus per Joſeph, atque Nicodemum, in conſpectu ipſo afflictiſſimæ Matris.

Oratio præparat: conſveta. PRÆLUD: I. Conſtitue te, coram B. Virgine, gladiô doloris transfixa.

PRÆLUDIUM II. Pete à B. Virgine, ut impetret tibi gratiam ſupernaturalis compaſſionis.

PUNCTUM I. Intuere B. Virginem præſenſem ductui Chriſti ad Pilatum, audientem accuſatores, ſpectantem, aut audientem illuſiones ejus apud Herodem, audientem quoque poſtpoſitionem ejus Barabbæ, præſentem flagellationi, ſpineæ coronationi, decretoriæ ad crucem damnationi, itineri ad montem Calvariæ, tandémque crucifixioni & morti. Intuere inquam, & expende Martyrium hoc graviſſimum ex his capitibus. 1. quia quantùm quis amat bonum aliquod, tantùm odit malum illi oppoſitum, tantúmque dolet, ſi illud ei infligatur: cùm igitur B. Virgo ſummo amoris ex-

ceſſu

ceſſu amaverit, Chriſtum, & ut Filium, & ut Deum ſuum, ideo ſummo etiam exceſſu oderat malum ejus, adeóque ſummè dolebat, eum affligi. 2. quia dolor Chriſti erat dolor ejus: eò quod cor ejus, eſſet cor Chriſti. Et ſic, in corpore Chriſtus, illa in mente, erat crucifixa. 3. quia illa, plùs quodammodo eſt paſſa, quàm Chriſtus: nam paſſio Chriſti deſijt in morte, tunc autem, ejus paſſio, & compaſſio non deſijt, ſed crevit: nam Chriſti corpus, cum redivivo dolore, ipſa excepit depoſitum de cruce, & per triduum ſepulturæ hærebant vivaciter in ejus imaginatione cruciatus Chriſti, eámque cruciabant His expenſis, adverte, ſi tantis cruciatibus affecta eſt Mater Dei, quomodo tu ſine doloribus, & cruciatibus, te ſalvandum putas? reſolve ergo te ad omnia pro Deo ſuſtinenda.

II. Intuere, quali animo, tantùm Martyrium, in paſſione Filij ſui, B V. ſuſtinuit. 1. ſuſtinuit ex amore, & cum actuali ſummóque amore Dei, Filij ſui. 2. ſuſtinuit fortiſſimè & conſtantiſſimè, unde dicit de illa ſcriptura; *Stabat*. 3. ſuſtinuit cum amore inimicorum Filij ſui & ſuorum; cum amore inquam flagellantium & crucifigentium. 4. ſuſtinuit ſinè deſiderio levaminis dolorum ſuorum, ſolam intendens gloriam Dei. Hæc omnia diſce à Beatiſſima, & addiſce, eodem modo, omnia adverſa à Deo tibi immiſſa tolerare: ac prone.

III.

III. Intuere doleſtiſſimam Dei Matrem, & cogita, quomodo practicè poſſis, illi & Filio ejus patienti compati. Potes igitur compati. 1. ſi quolibet die aliquem actum, erga Chriſtum patientem, eámque compatientem, elicueris. 2. ſi quotidie aliquam mortificationem in quocunque ſenſu feceris, in honorem & imitationem Chriſti patientis, ejuſque compatientis. 3. Si imaginem Chriſti crucifixi, ejuſque Matris ſub cruce ſtantis, quotidie cum affectu intuitus fueris. Cogita, & fac talia, quæ tibi Spiritus ſanctus ſuggeret.

Colloquium. O Mare dolorum, Maria! quàm magna eſt contritio tua? quis mihi det, ut ſim particeps compaſſionis tuæ? o Regina Martyrum! ſi indignus ſum, prout ſum, gratiâ ſanguinei Martyrij pro Filio tuo: id mihi ſaltèm impetra, ut ſim compaſſionis Martyr, & præ amore Filij tui, pro me paſſi, moriar.

HORA CONSIDERATIONIS,

Tempore promeridiano, diei 7timæ.

De frequenti exercitio Fidei divinæ.

Omnibus quidem Chriſtianis incumbit exercere fidem, tam per actus elicitos, quàm imperatos; potiſſimùm tamen Religioſis propter ſequentes rationes.

Primò: Quia vita Religioſa, & omnis religioſitas, ex vera fide naſcitur, & in ea fundatur: quando enim Deus vocat aliquem ad religio-

ligionem, dicit illi interiùs, quod olim dixit Abrahamo. *Gen. 12. Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & vade in terram, quam monſtrabo tibi*; audit hoc is qui vocatur, credit Deo, ſicut Abraham, & fit Religioſus. Interdum etiam adhibet ſigna ſeu motiva credibilitatis Deus, dum vocat ad religionem. Sic Patri Martino Olavio, dum in Sacrificio Miſſæ Sacram Hoſtiam teneret, articulata voce, dixit Chriſtus; *In Societate Ieſu vivendum & moriendum tibi eſt : parcas tu potiùs mihi, quàm ego tibi* : quâ ille voce auditâ, ad præſentiam Sacræ Hoſtiæ, & ipſe Hoſtia Deo ſtatim factus eſt, ùt refertur prima parte Hiſtoriæ Societatis. *lib.* 12. *num.* 5. Vocatio ergo ad religionem, eſt locutio Dei, & revelatio ſtatûs ad ſalutem ordinati; obauditióque vocanti Deo, eſt quædam fides, ſeu aſſenſus obſcurus, dicenti Deo præſtitus:

Secundò : quia vita religioſa, & omnis religioſitas in ſuo vigore, robore & fervore per veram fidem conſervatur. Quia ijſdem principijs & adjumentis res conſervantur, quib⁹ incipiũt primò eſſe; cum igitur vita religioſa incipiat ex fide ùt proximè dixi, etiã per fidẽ conſervatur. Et certè ſicut homines ſæculares, ità & religioſi deſtruuntur defectu actualis fidei, de præſentia Dei, ideóq; S. P. noſter, (ùt habetur in vita ipſius à P. Ribad: conſcripta *lib.* 5. *cap.* 1.) optabat omnibus noſtris, id familiare eſſe,

ut

ut Deum in omnibus rebus præſentem cernerent, & univerſas res, atque ſingulas in Deum referrent, neque minorem devotionis ſpiritum ſentirent in actione, quàm in ipſa meditatione. Ità Aquila noſtra, ad intuitum præſentis Solis juſtitiæ, provocabat pullos ſuos.

Tertiò: quia quicunque in Religione non perſeverat culpabiliter, ille in vera fide deficit. Non dico, quòd ſit hæreticus, vel amittat fidem, vel deficiat à fide: ſed quòd deficiat in fide. Quia ſi fides vera eſt conſervativa vitæ religioſæ, ùt dictum eſt; dum deficitur à vita religioſa, non per aliud deficitur, niſi per deſitionem conſervativi vitæ religioſæ, quod conſervativum eſt fides vera. Deinde, qui culpabiliter non perſeverat in religione, vult tamen ſalvus eſſe; is vel non credit dixiſſe Chriſtum, aut ſaltèm fidem actualem de hoc non habet, quòd dixerit Chriſtus: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Vel ſi credit dixiſſe, ipſo ſuo facto contrario, mendacem facit Chriſtum.

Quartò; quia vita religioſa, præſertim in Societate JESU, eſt virtualiter continua fidei profeſſio, & virtuale exercitium ejus. Qua enim intentione primi noſtri Patres, in Societatem hanc coaluerunt, niſi ut eſſent Vicarii Chriſti ſemper ad manum, quocunq; eos mitteret, ſeu ad hæreticos, ſeu ad Ethnicos convertendos? Quid aliud itèm finis Societatis continet,

net, niſi curam ſalutis propriæ, & proximorũ? ſalus autem ſeu vita æterna quæ eſt; *niſi ut cognoſcant te Deum, & quem miſiſti IESUM.* Quid denique omnes Societatis occupationes ſpectant, niſi vel præparamenta ad fidei propagationem, vel ipſam fidei propagationem?

Ex his ergo patet, quantis titulis competat religioſis exercitium fidei divinæ. Jam quod attinet ad praxes, hæ poſſunt eſſe.

1. Obfirmare animum in fide vera, ità ut diabolus deſperet de tentando religioſo in materia fidei. Obfirmare autem per proteſtationem reſolutam vivendi, & moriendi in fide hac, quotieſcunque datur occaſio recitandi aliquod ſymbolum fidei, ſive Apoſtolicum, ſive Concilij Nicæni, ſive S. Athanaſij.

2. Deſiderare & emendicare à Deo gratiam, quam plurima patiendi, ſaugninémq; fundendi & moriendi pro fide ejus; hæc eſt felicitas felicitatum, ponere vitam pro Domino Jesu, qui poſuit pro nobis ſuam! occaſiones hujus deſiderij & emendicationis, hæ poſſunt eſſe. 1. quandocunq; fidei Symbolum recitatur. 2. in Sacrificio Miſſæ, quandocunq; oſculum imprimitur altari, & inclinatur caput: tunc enim ore vel ſolâ mente dici poteſt; En Domine! cervicem pro fide tua! En ſanguinem! en vitã pro honore & amore tuo! 3. Ad menſam, dum legitur Martyrologium: tunc enim poteſt deſiderari fide talis, qualem habuerunt SS. Martyres:

tyres: poteſt quoque deſiderari & peti à Deo Martyrium per interceſſionem horum SS. Martyrum, ſic e. g. O ſi haberem fidem talem! ô ſi morerer pro Chriſto! ô Sancti Martyres, impetrate id mihi!

3. Deſiderare & emendicare à Deo veram ejus notitiam & fidem per totum orbem. Tale fuit deſiderium S. Patris noſtri: ô Domine! ſi te homines nôſſent! illud quoq; S. Franciſci Xaverij: *Memento clementiſſime, rerum omniũ conditor Deus, animarum, infidelium; hæreticorum, & peccatorum, à te creatarum, quas ad imaginem, & ſimilitudinem tuam feciſti. Ecce Domine, in opprobrium tuum, his ipſis quotidie impletur infernus! &c.* Illud præterea, noſtri Fratris Alphonſi Rodriguez, Laici quidem, ſed magni in Spiritu Doctoris, quo offerebat ſe Deo ad toleranda potiùs in æternum, omnia inferni tormenta, quàm ut Indi, Mauri, Gentiles eſſent à vera fide extorres: quod ejus deſiderium, ità placuit Deo, ut in quadam ecſtaſi revelatum ſit illi, eum tam accenſâ voluntate, tantum promeruiſſe, quantum fuiſſet adeptus omnium hominum converſione, ùt *refert P. Michaël Iulianus, in vita ejus.*

4. Sacrificia, quæ ex præſcripto noſtræ religionis, ſingulis menſibus pro Indis, & Gentium converſione, ſimiliter pro partibus Septentrionalibus, & hæreticorum reductione, abſolvimus, exactè peragere; nempe, in præparatione

ratione ità fructus diſtribuere, ut & Gentibus, & laborantibus circa eas Sacrificium proſit. In Sacro, cogitatio hæc indentidem habeatur: *Ecce Domine IESV, in opprobrium Sanguinis tui, anima nobis infernus impletur.* Poſt Sacrum, deſideria converſionis earum gentium & Martyrij, eliciantur.

5. Offerre ſe Superioribus, & ab ijs expetere Miſſiones laborioſas, *O quàm pulchri ſunt pedes* talium Miſſionariorum, *evangelizantium pacem, evangelizantium bona*, perducentium parvulos, & rudiſſimam plebem ad Chriſtum. Quid tota vita Chriſti, præſertim triennium ultimum, nisi miſſio fuit? non legit Chriſtus Rhetoricas & Philoſophias, non occupavit ſpecioſas, ſubliméſq; Scribarum, Phariſæorum, Legisperitorum cathedras; ſed tanquam Miſſionarius omnia egit, dixit, converſatus eſt. Per quos Regnum Chriſti, fidéſque tam obſcura, dilatata eſt in orbe terrarum toto, niſi per Apoſtolos, & Apoſtolicos Miſſionarios? Amator hominum, Fili Dei, da quàm plurimos Societati noſtræ, & toti Eccleſiæ tuæ Miſſionarios, ac indefatigabiles, atq; tam ſudoris, quàm ſanguinis prodigos, pro te operarios; non ſe, & ſua, ſed te, & animas, ſanguine tuo redemptas, ſincerè, & ſeriò quærentes. Dic huic, & illi: (nôſti enim loqui ad cor) *Ite Angeli veloces, ad gentem*, cultu idolorum, defectu Paſtorum, varietate ſuperſtitionum, aſtu-

aſtútiâ hæreticorum *convulſam, ac dilaceratam* Ite, laborate, in ſudore, lachrymis & ſanguine ſerite, ut cũ æterna exultatione metatis.

DIEI SEPTIMÆ
MEDITATIO III.
De ſignis clavorum, & Lanceæ, in glorioſo Chriſti corpore relictis.

Horum meminit S. Pater, in Medit. de apparitione Chriſti Domini ſeptima, poſt Reſurrectionem, puncto ſecundo.

Oratio præparat: conſveta: PRÆLUD: I. Conſtitue te in cœnaculo, in quo Chriſtus Dominus, S. Thomæ exhibuit fixuram locúmque clavorum, & mittere juſſit manum in latus ſuum.

PRÆLUD: II. Pete à Chriſto Domino gratiam ſanitatis ſpiritualis, ex cicatricibus vulnerum ejus.

PUNCTUM I. Intuere in manibus Chriſti Domini veſtigia clavorum, & reverentiſſimè inquire; cur ea vulnerum ſigna in manibus glorioſis reliquerit? audíq; eum reſpondentẽ: Ideo reliqui, 1. ut ſcias ea, quæ acerbiſſima fuerunt, eſſe gloriam meam. 2. ut ſcias hos eſſe characteres, quibus in manibus meis ſcripſi te mihi. 3. ut ſcias, manus meas, erga genus humanum eſſe perforatas & apertas, plenáſque hyacinthis. Ex his diſce. 1. gloriari in infirmitatibus, acerbitatibúſq; tuis. 2. gaudere, ſi propter

pter bona quæ agis, & pro omnibus laboribus tuis, non referas, nisi aculeatos ſarcaſmos & vulnera, ſeu verba te cruentantia. 3 concipe fiduciam ad vulnera manuum Chriſti, & per ea pete gratias tibi neceſſarias.

II. Intuere loca clavorum, ſignáq; vulnerũ in pedibus Chriſti glorioſi, & inquire cauſas eorum à Chriſto relictorum: tum audi, ideo reliqui: 1. ut ſcias me non eſſe præproperum ad vindictam peccatorum. 2. ut ſi bona & flexibilis terra es, non autem dura petra, imprimam tibi veſtigia paſſionis meæ, 3. ut intuens perforatos pedes meos, ſcias, non eſſe aliam ad ſalutem viam, nisi viam crucis, vulnerum, mortificationis. Ex his 1. confundere, quòd tam diu te ingratum, & inutilem, & contemptorem ſuum toleret Dominus Jesus. 2 offer animam tuam ad impreſſionem vulnerum Domini, reſolvéque te ad omnia, quæ voluerit à te ſuſtineri. 3. ingredere tandem cum gaudio, & exultatione viam mortificationis.

III. Intuere fixuram Lanceæ, in latere Chriſti glorioſo, & inquire cauſam, cur eam reliquerit? audíque reſponſum; Ideo reliqui. 1. ut ſcias me etiamnum eſſe vulneratum charitate tui, exhibeáſque viciſſim cor tuum mihi. O cor Domini Jeſu! quantùm differs à corde meo! 2. ut habeas refugium in latere meo; recurre ergo ad illud in omnibus anguſtijs tuis. 3 ut in judicio meo videas hoc vulnus, & confundaris,

daris, ſi eo abuſus fueris. Ex his fac propoſita congrua.

COLLOQUIUM ſic inſtitue : accipe effigiem Chriſti crucifixi, & exoſculare quinque Sanctiſſima vulnera ejus.

Oſculans pedes Chriſti, dic. 1. *Domine IESV, per vulnus pedis tui dextri, peto à te, ducas me viâ crucis.* 2 *Domine IESV, per vulnus pedis tui ſiniſtri, peto à te, dirige in conſpectu tuo viam ſalutis meæ.*

Oſculans vulnus manûs dexteræ, ter dic : *Domine Ieſu, per vulnus tuæ dexteræ, peto à te, colloca me ad dexteram tuam, in judicio tuo.*

Oſculans vulnus manûs ſiniſtræ ſemel, dic : *Domine IESV, per vulnus manus tuæ ſiniſtræ, peto à te, benedic omnibus, qui ſiniſtrè de me, & contra me loquuntur, ſcribunt, agunt, cogitant.*

Oſculans vulnus lateris, ter dic : *Domine IESV, per vulnus lateris, & cordis tui, peto à te, ut ultima ſit reſpiratio mea, nomen & amor tuus.*

In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

DIES OCTAVA

Sancto, cujus nomen geris, conſecranda.

Actus ejaculatorius hujus diei erit iſte : *Amo IESVM amore MARIÆ, amo MARIAM amore IESV.* Actus iſte uſitatus fuit Patri Gaſpari Druzbicki Soc. Jesu.

Me-

Digitized by Google

MEDITATIO I.

De Amore DEI.

Contemplatio ad amorem ſpiritualem in nobis excitandum, ponitur à S. Patre, Hebdomadâ quartâ, in ordine ſecunda.

Oratio præparatoria conſveta.

PRÆLUDIUM I. Cogita te ſtare coram Domino, Angelis, Sanctíſque omnibus tibi propitijs.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, per quam beneficiorum ejus in te collatorum magnitudinem perſpiciens, ad amorem, cultum, ac ſervitium ipſius, totum te impendas.

PUNCTUM I. Audi Deum dicentem: *Ierem.* 31. *in charitate perpetua dilexi te.* Et conſidera amari te à Deo totaliter, nempe toto ipſo Deo, & toto univerſo. Inprimis enim, amor quo te Deus amat, eſt ipſe Deus, nihílq; eſt in Deo, quó te Deus non amet. Deinde amat te Pater æternus, Filium ſuum tibi dans: amat te Filius Incarnatus, paſſus, mortuus pro te, cibus factus pro te: amat te etiam Spiritus Sanctus, donis ſuis te illuminans, ornans, ſanctificans; amat te Omnipotentia creans & conſervans, amat Eſſentia im̃enſitá que ſemper tibi præſens, amat ſapientia & providentia gubernans te, amat æternitas immortalem te faciens. Inſuper amat te Deus toto univerſo; omnes creaturas etiam ipſos Angelos ordinans

in

in miniſterium tuum. Expende hunc amorem erga te Dei tui, & vide an reſpondeas illi pro modulo tuo: & an illum ames toto te, toto corde, toto eo quod habes, quod es; toto eo quod agis, & pateris; proponéque meliora.

II. Audi Prophetam de Deo dicentem. *Iſa. cap. 69. in dilectione, & indulgentia ſua, ipſe redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos.* Hoc audiens conſidera, amari te à Deo elevatè, ſemper ſuper omnia. Inprimis enim amat te ſupra omnem aliam creaturam: quia nulli creaturæ tantum præſtitit, & præſtat, quantum tibi, ô homo. Cui creaturæ alteri hypoſtaticè unitus eſt Dei Filius? pro quâ paſſus? cujus factus cibus? Quod etiam amet te Deus-Homo, ſupra vitam ſuam mortalem, audi Auguſtinum: Dilexiſti me Domine pluſquam te, quia mori dignatus es propter me. Deus ergo amat te ſuper omnia. Et tu non amabis Deum ſuper omnia? Vide jam, ſi eſt aliquid, quod pluſquam Deum, vel non propter Deum ames, & repudia omnia.

III. Audi Deum tibi dicentem; *Iſaiæ 5. Quid eſt quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci?* Hoc audiens conſidera, amari te à Deo non ſolo affectu, ſed re ipſa: exiſtens enim in omnibus & ſingulis creaturis tibi deſervientibus, dat illis eſſe, poſſe, vivere, ſentire, moveri, intelligere, permanere, propter bonum, uſúmq; tuum, præſens ipſe tibi ſe toto, in ſingula mo-

 menta

menta te conſervat, & veluti de novo creat te, providet & proſpicit tibi. Cum ipſis creaturis deſervit tibi, cum ſole tibi lucet, cum igne te calefacit, cum terra te ſuſtentat, cum aëre tibi dat reſpirium; ſpecialiter autem, ut auctor ſupernaturalis, aſſiduè operatur in anima tua: hæc tibi Deus! & tu non repones miſerum amorem tuum, tanto amori Dei tui? contentúſne eris ſolo affectu, eóque inefficaci? non laborabis pro Deo uſque ad defatigationem?

Colloquium. Amas me, ô charitas, in immenſum, DEUS meus! & ego nec cum menſura quidem repono tibi amorem! ergo ab hinc diligam te Domine! ſed, ah ſerò cognovi te, pulchritudo tam antiqua! amo ergo tandem te, toto me.

Suſcipe, Domine, univerſam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam: quidquid habeo, & ſum, mihi largitus es tu: totum id tibi reſtituo, tuæque adorandæ trado, & ſubdo voluntati; amorem tui ſoli mihi dona, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultrà poſco.

In fine, Pater, Ave, & Anima Chriſti, &c.

DOCTRINA PRACTICA

Tempore matutino, diei octavæ relegenda.

De Præſentia Dei.

INnui ſuprà, in Hora Conſiderationis diei tertiæ, oblivionem præſentis Dei, eſſe fontem

tem omnium defectuum. Et in Hora Conſiderationis diei ſeptimæ, ſicut homines ſæculares, ità & religioſos deſtrui, defectu actualis fidei, de præſentia Dei. Atque hæc ibi incidenter; hoc loco de religioſo uſu ejuſdem præſentiæ Dei, ex profeſſo agendum duxi.

Primò itaque certum eſt, uti ibidem dixi, afficaciſſimum eſſe remedium contra peccata, memoriam præſentiæ Dei. Nam ùt ait Clemens Alexandrinus *lib. 3. de Pædag. cap. 5. Hac ſolùm ratione fit, ut quis nunquam labatur, ſi Deum ſibiipſi ſemper adeſſe exiſtimet.* Hòc remedio S. Paphnutius Thaidem meretricem, & S. Ephrem aliam procacis vitæ mulierem, ad frugem reduxit.

Secundò, certum eſt, nihil eſſe præſentius, ad vincendas tentationes, ad evitanda pericula; & difficultates omnis generis ſuperandas, quàm memoriam præſentiæ Dei. Experientiâ ſuâ id didicit Propheta Domini, ita ut audenter pronunciaret. *Pſal 22. Etſi ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ità quoque Machabæi, Dominum cordibus orantes, proſtraverunt Nicanorem cum 35. millibus, præſentia Dei magnificè delectati, 2. *Machab:* 15.

Tertiò, certum eſt: Jugem præſentiæ Dei memoriam, vitámq; illi accommodatam, eſſe compendium, & ſummam perfectionis, in hac vita: concluſit Deus ipſe veritatem hanc, dum

docens Abrahamum, quomodo poſſet eſſe perfectus, dixit: *Ambula coram me, & eſto perfectus. Gen.* 17. Hinc quicunq; placuerunt Deo, in memoria præſentiæ Dei potiſſimùm enituerunt. Elegit Dominus duos ex omni carne, qui nondum ſunt mortui, ſervatíque ad certamen cum Antichriſto. Et in quo præcipuè, hi tam privilegiati ſervi Dei excelluerunt? hoc de illis refert Sacra Scriptura; *Geneſ.* 2. *Ambulavit Henoch cum Deo.* (Quem aliqui Judæi cenſuerunt fuiſſe Angelum incarnatum: ùt Cornelius à Lapide refert in hunc locum.) Eliæ verò quid vivaciùs inhæſerat, quàm præſentia Dei? hoc in ejus ore frequens fuit; *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto.* 3. *Reg.* 17. (pretioſiſſima Filij Dei Mater omnes puras creaturas ſuperavit perfectione: quàm igitur Dei præſentis, indeſinenter memor fuerit, innuitur in canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat, cap.* 5. *v.* 3. Quæ verba nonnulli SS. Patres, & Theologi, explicant de B. V. dicúntq; eam etiam in ſomno Dei memorem fuiſſe. Immo S. Bonaventura, S. Bernardinus, & noſter Caniſius tradunt, pluribus Sanctis revelatum eſſe, quòd B. Virgo integras ferè noctes, orando, & meditando traduxerit, ùt adnotat Cornelius in hunc locum. Verba S. Bernardini digna relatu, ſunt. *Tom.* 2. *ſerm.* 91. *art.* 1. *c.* 2. *Somnus qui abyſſat, & ſepelit in nobis, rationis & liberi arbitrij actus, & per conſequens actum merendi;*

Digitized by Google

di; non credo, quod talia in Virgine operatus ſuerit, ſed anima ejus liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum.

Adjicio exemplum è noſtris unum, de Patre Petro Cottono, in cujus vita *lib 2, c.* 10. ſcribitur, quòd ſingulari Dei beneficio, decem circiter annis ante mortem, etiam dormiens, liberi arbitrij uſum habuerit, ad orationem, & meditationem, conſequentérque ad DEI præſentiam memoriâ retinendam.

Quartò, certum eſt, nullum religioſum poſſe eſſe verum religioſum, nisi ſe exerceat in uſu frequenti memoriæ præſentis Dei. Quia cùm nullus poſſit eſſe verus religioſus, nisi, tendat ſemper ad perfectionem, juxta ſuperiùs dicta, & perfectio conſiſtat in jugi memoria præſentiæ Dei, juxta proximè dicta; manifeſtè habetur, neminem poſſe eſſe verum religioſum, nisi ſe exerceat in uſu memoriæ præſentiæ Dei. Ex quo etiam facilè eſt colligere, quòd religioſus qui ſub mortali obligatur tendere ad perfectionẽ, plurimùm etiam obligetur exercere uſum memoriæ præſentis Dei. Facilè quoque eſt ex dictis colligere, quòd ſi quis velit ſcire profectum ſuum in via DEI indè poſſit noſcere, an & quantum profecerit in memoria præſentis Dei, per diem & noctem, in memoria inquam non qualiquali, ſed cum reverentia & amore, accommodationéque vitæ ad exigentiam præſentis Dei.

 Quin-

Quintò, certum eſt, memoriam præſentiæ Dei, eſſe inchoationem beatitudinis æternæ in hac vita: ſicut enim beatitudo cœleſtis conſiſtit in viſione divinæ faciei, ſic nunc inchoata beatitudo terreſtris, conſiſtit in hoc divino intuitu. Hinc Gloſſa ordinaria ad illud: *3 Reg. 17. Vivit Dominus Deus Iſraël in cujus conſpectu ſto*, ait; *in conſpectu Domini ſtat juſtus modò, ſtabit & in futuro. Mens repleta recordatione præſentiæ Dei, quid niſi cœlum eſt? Semper Dei memineris, & cœlum mens tua evadet*, ait S. Ephrem. *Qui eſt ſemper memor Dei, eſt ſicut Angelus: Angeli enim ſemper vident faciem Patris.* Exemplum S. Aloyſij Gonzagæ.

Sed jam commemorandæ ſunt praxes aliquæ, frequentis memoriæ, circa præſentiam Dei. Ex quibus ſit hæc:

1. Occaſionibus habendæ in memoria præſentiæ divinæ, quæ in vita religioſa quotidie occurrunt, bene uti: ità enim eſt ordinata vita religioſa, ut niſi velit hoc ipſo delinquere, non poſſit non frequenter meminiſſe Dei religioſus; quod indè conſtat; Impendis enim quotidie religioſe, ex præſcripto religionis, horam integram meditationi, præparitione illam præcedente, & reflexione ſubſequente: ecce jam pluſquàm una hora, in qua non ſolùm potes, ſed debes eſſe memor præſentis DEI. Deinde paras te ad Sacrum, ſaltèm per quadrantem, abſolvis Sacrum per dimidium horæ;

Digitized by Google

ræ; in gratiarum actione moraris, ſaltèm per quadrantem: ecce iterum hora, in qua obligaris meminiſſe Dei. Officio Canonico Sacerdotali perſolvendo impendis quotidie, pluſquam horam: nunquid in ea non debes eſſe memor Dei, quem alloqueris? jam in examine Matutino & Veſpertino, Litanijs, colloquijs Spiritualibus, Salutatione Angelica, ſingulis horis dici ſolita, & ad ternum, per diem, pulſum, ter repetita, nomine Dei toties per diem invocato & audito; in ipſis deniq; circa animas, religioſis functionibus, concionibus, Confeſſionibus, inſtructionibus, quot & quantæ ſunt occaſiones exercendi memoriam præſentiæ divinæ! Utere ergo religioſe his occaſionibus, prout debes, & eris memor Dei, Deúſque erit memor tui, & firmabit ſuper te oculos ſuos.

2. Orationibus ejaculatorijs ad Deum frequenter uti, quas mirum in modum commendant Sancti Patres, & viri aſcetici. S. Auguſtinus, Epiſtolâ ad Probam ait; *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas breviſſimas, & raptim jaculatas, &c. dum ſportulas texebant; dum manibus laborabant, &c.* Unũ ex jaculis hujuſmodi jaciebant: *Diligam te Domine fortitudo mea!* hæc eadem jacula, & nos manu linguæ, vel cordis, jacere poſſumus, quocunq; loco, in quocunque negotio. Vocantur autem hæ Orationes ejaculatoriæ, ſeu jaculatoriæ, quod vi amoris jacian-

tur in Deum, & ſicut ſagitta Jonathæ nunquam redijt retrorſum, ità hæc jacula nunquam ſunt ſinè fructu. Jecit ſemel tantùm, jaculum ejuſmodi, latro in cruce, jecit inquã ad cor Chriſti, dum dixit: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum*, & ô quàm jaculum hoc non redijt retrorſum!

3. Micas temporis, & minuta, quæ inter finem & initium diverſarum occupationum, atque in ipſis occupationibus identidem intercurrunt, non ſinere fruſtrà abire, ſed in ijs memoriam præſentis Dei, non per aliquas imaginationes, caput fatigantes & lædentes, ſed per actus fidei, ſpei, amoris, aliarúmq; virtutum ad Deum directos, occupare, adhibito circa hoc etiam examine particulari.

Hæc ſi ex parte tua adhibueris, religioſe, docebit te UnctioSpiritûs Sancti modos alios, habendi ſemper in memoria præſentem Deum, qui tibi in omni actione ità inhærebit, ſicut febricitanti, in omni quod agit; inhæret calor ejus febrilis.

DIEI OCTAVÆ
MEDITATIO II.

De Amore pretioſiſſimæ Dei Parentis.

Quantùm nos affici erga Matrem Dei, & noſtram, Virginem beatiſſimam, velit S. Pater, patet ex tot colloquijs, quæ in Exercitijs ſuis præſcribit, & dirigere ad eam jubet.

Orat:

Digitized by Google

Orat. præparat. conſv. Prælud. I. Conſtitue te coram pretioſiſſima Dei Matre, totam Societatem noſtram, ſub pallio ſuo continente, ùt oſtenſum Venerabili Patri Guttierez.

PRÆLUDIUM II. Pete à Chriſto Domino gratiam affectûs teneri, intenſi, & æterni, erga Matrem ejus.

PUNCTUM I. Audi dicentem Deum; *Iſaiæ 51. Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Hoc audiens, conſidera: ſicut Chriſtus, Pater & auctor credentium, eſt quoque Pater Societatis noſtræ, nomine ejus inſignitæ; ità fortunatiorem Saram, (quæ Dominam odoris ſignificat) B. Virginem, eſſe Matrem Societatis. Ad ejus imaginem in monte Serrato, S. Ignatius in alium prorſus virum mutatus eſt. In æde ejuſdem Virginis, quæ mons Martyrum dicitur, die Aſſumptionis ejus, primi Patres vota ſua primò nuncupârunt: in ejuſdem Sacello Templi S. Pauli, publicam fecerunt Profeſſionem. Primum Romæ templum Societati ceſſit S. Mariæ de Strada. Illa S. Ignatio Conſtitutiones ſcribenti, apparere ſolita fuit. Illa eundem in Exercitijs Spiritualibus inſtruxit: illa domum ſuam Lauretanam, olim Nazarethanam, à noſtris inhabitari fecit. Si igitur es Filius Societatis, totis medullis cordium, Mariæ afficiaris, cultúmque & amorem ejus, in omnium, præſertim puerorum, rudium, pœni-

nitentium, & diſcipulorum tuorum cordibus, propagare ſtudeas.

II. Audi Deum dicentem; Eccl. 25. *Memẽto Matris tuæ: in medio enim magnatorum conſiſtis.* Et conſidera, non aliam eſſe Matrem quæ te Societati genuit, niſi B. Virginem: quamvis enim te viſibiliter non monuerit, ut ingredereris Societatẽ, prout monuit aliquos; per illius tamen miſericordiam ſtetit, ut te ſibi in Socium adlegeret Dominus Jesus: revoca in memoriam, quomodo tibi, adhuc in pueritia, affectum ad illam injecerit Deus: quantuſquantus coram Deo es, totus Mariæ es. hæc Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, non permiſit te illaqueari dilectionibus vanitatum, atque ad timorem, agnitionem, & ſpem æternorum perduxit. Jam vide, quàm gratus eſſe debeas primariæ huic, poſt Deum & Chriſtum, Benefactrici tuæ, quantum affici illi debeas: coordina quotidianas devotiones, & propone.

III. Audi B. Virginem dicentem tibi, quòd olim dixit P. Joanni Nunnio, adhuc ſeculari; *Viſne ſervire Filio meo, uſque ad defatigationem?* Et conſidera inprimis, hanc eſſe præcipuam, in Societate Jesu, devotionem ad B. Virginem, nullis parcere laboribus, in ſcholis, in cathedris, confeſſionalibus, circa ægrotos, incarceratos, rudes erudiendos, &c. omniáque hæc exactè peragere, & per manus B. Virginis

nis Deo offerre; nunquam ad otium, & quietem adſpirare; ſupplentias, reſpectus, & condeſcenſiones nullas velle, & tandem præ laboribus mori. Deinde reſponde B. Virgini, & dic

In COLLOQUIO: Et quidni pretioſiſſima Dei mei Mater, velim uſq; ad defatigationem ſervire Filio tuo? qui pro me fatigatus eſt, ſudavit, ſangvinem fudit, & tandem in lecto crucis, quievit? quidni velim & tibi uſq; ad defatigationem deſervire? ubi æqviùs, & fortunatiùs impendam, expendámq; & prodigam vires meas, quàm in obſequio veſtri? Nolo me ſuperari ab Aulicis, qui in obſequijs Dominorum ſuorum fatigantur, & moriuntur, &c.

In fine, Pater, & Ave.

HORA CONSIDERATIOnis, Tempore pomeridiano. diei 8væ.

De Servitio Dei ſinè intuitu ullius mercedis, & de deſiderio videndi DEUM.

1. Poſtquam Chriſtus Dominus, retulit de quodam homine poſſeſſionato, annóſq; plurimos ad comedendum, bibendum, epulandúmq; ſibi pollicente, quòd Deus ei dixerit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & hæc quæ paráſti cujus erunt?* ità concluſit hiſtoriam; *Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Quærunt hìc Sacræ Scripturæ interpretes, quid ſit nō theſaurizare ſibi, nec eſſ

divitem in Deum? S. Auguſtinus de tempore, *ſerm.* 44. quem refert Cornel: à Lapide in hunc locum, dicit: *Eum eſſe divitem in Deum, qui eſt plenus charitate, ſeu qui ex charitate ſola ſervit Deo, non intuitu ullius mercedis, etiam cœleſtis, theſaurorúmque Regni Dei.*

2. Sic erga Deum dives fuit, magnus divinorum æſtimator Job, dum proteſtatus eſt; *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* veluti diceret: non propter vitam, ullúmve bonum meum ſpero in Deum, illique ſervio; ſed propter illum ſolum.

3. Tales erga ſe divitias placere ſibi oſtendit Deus, dum in quodam raptu, S. Magdalenæ de Pazis exhibuit S. Joannem Evangeliſtam, ſéque in anima ejus ſingulariter oblectantem, eò quòd anima illa, omnia operata ſit ex ſolo Dei amore, & ex eodem animas ad ſuum Creatorem duxerit, ùt Refert P. Tauſch de Matre doloroſa, *lib.* 2. *c.* 12.

4. De ipſa verò hac S. Magdalena, ſcribitur in vita ejus: eam dicere ſolitam; *Si crederem me uno ſolo verbo prolato ob alium finem, quam ob amorem Dei, poſſe evadere Seraphicum; nunquam illud proferrem.*

5. Jam de S. Patre noſtro Ignatio, in hac materia quid dicendum? videt in eo Societas ignem amoris divini ad comburendum cœlũ, videt & fluenta Spiritûs S. ad extinguendum infernum. Teſtatur P. Lancicius ſe audiviſſe

viſſe à P. Benedicto Pererio, S. Patrem in Miſſa ſolitum fuiſſe inflammari, ità ut facies ejus ruberet vehementer. Ecce ignis divini amoris! item S. Pater, tantum à Deo habuit lachrymarum donum, ut Patres illi commanentes, libellum ſupplicem Pontifici obtulerint (quem inquit P. Lancicius Romæ legi) ut ob cæcitatis periculum ab horis recitandis in quibus ingenti lachrymarum copiâ diffluebat, liberaretur: Ecce aqua! Quòd autem ignis iſte ſit ad comburendum cœlum, ſeu nè quiſquam faciat bona opera intuitu ſolius mercedis; & quòd aqua hæc ſit ad extinguendum infernum, ſeu nè quis ſolo metu gehennæ, caveat peccata; audiamus illum, ex abundantia cordis, in Exercitijs ſuis ità loquentem: *Suſcipe Domine univerſam meam libertatem, &c amorem tui ſolũ cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultrà poſco.* Et in Summario, vult à ſuis omnibus ſemper id ſpectari, ut *ſerviant & placeant divinæ bonitati, propter illam ipſam potiùs, quàm ob timorem pœnarum, vel ſpem præmiorum.*

6. Executus eſt eximiè Regulam hanc, optimus Frater Joannes de Soto, Veſtiarius, è noſtra Societate, qui gravi & mortiferô, quem prædixerat, morbô decumbens, jam morti proximus, acum popoſcit, quam in parietis rimam inſeruerat: qui præſentes aderant, delirare illum opinabantur. Sed ille, non deliro, inquit,

ſed amore Dei, dari mihi velim, quod peto. Acceptam itaque acum ſumit, & ait; *Hac mihi acus, cœli clavis erit, hac paradiſi portas reſerabo, cúmque hac mori cupio, & Chriſtum inviſere Redemptorem meum: nihil enim hac acu paravi, niſi ſolius amore Dei, neque filum eâdem traieci unquam, niſi ut illi placerem, hoc aliter, quàm ſi ipſum Chriſtum veſtire debuiſſem.*

7. Aſſveſce igitur, religioſe, imitari hos, & ità quotidie, per omnes actiones tuas ſervire Deo, ut non ſpectes mercedem ullam, ſed ſolum amorem Dei. Addo tamen, etiam ſpe præmij cœleſtis, & metu gehennæ, ſeu propter Deum glorificatorem, & æternum punitorem, aliquid operari, eſſe actum virtutis Theologicæ, Spei; cujus objectum proſecutionis eſt gloria æterna: objectum autem fugæ, eſt pœna æterna.

8. Quod attinet ad deſiderium videndi Deum, de hoc breviter quædam adnoto. Inprimis, ſignum eſſe non poſtremum reprobationis; nunquam deſiderare videre Deum in cœlo: in tales enim cadit illud de reprobis dictum, *Pſ. 105. Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* Et certè quis viator non appetit terminum ſuum? quis exul non deſiderat patriam ſuam? niſi eo ipſo deſierit eſſe patriota. Deinde, deſideria rerum terrenarum extingui per deſiderium videndi Deum, magis quam

per

per appetitum calidorum, deſtruitur appetitus frigidorum. Tertiò, neminem poſſe eſſe verum religioſum, qui ſaltem aliquando, toto corde efficaciter non appetit cœleſtia, ſeu videre Deum: quia cùm religioſus debeat eſſe & contemptor rerum terrenarum, & deſertor, ſi effectu adhæret illis, non cenſetur verus religioſus: hoc ipſo autem cenſetur adhærere rebus terrenis, ſi nunquam appetit cœleſtia: nunquam enim cor noſtrum eſt ſinè adhærentia ad aliquid. 4. Servum Dei eò eſſe viciniorem cœlo, quò ardentiùs & vehementiùs appetit cœleſtia, ſeu videre Deum, quia in fine motus eſt velocior Sic anhelabat Moyſes *Exod. 33. Oſtende mihi faciem tuam! oſtende mihi gloriam tuam.* ſic David *Pſal. 41. Quemadmodum deſiderat cervus ad Fontes aquarum.* Sic S. Paulus cupiens diſſolvi *ad Phil. 1* Sic S. Pater noſter; ô quàm ſordet terra, dum cœlum aſpicio! 5 defectum deſiderij videndi SS. Trinitatem, obſtaculo nonnullis fuiſſe poſt mortem, nè ſtatim admitterentur ad viſionem Dei: comprobat id P. Nierembergius ex hiſtoria Collegij Complut: *lib 2. doctr 13. cap. 78.* relatione quadam de P. Joanne Fernandio, qui Romæ Theologiam docens, dum materiam de SS. Trinitate traderet, exarſit ejus videndæ deſiderio, raptúſque in ſpiritu, poſt multa ſibi admodum gravia, vidit in horto quodam peramæno animam quandam pellucidè

lucidè & radianter veſtitam, à qua didicit, quòd eſſet anima unius Fratris noſtri, qui in Societate ſeptennio vixit, & propter defectum deſiderij videndi SS. Trinitatem, ſolùm ejuſdem deſiderij purgatorium, in eo loco pateretur.

DIEI OCTAVÆ.
MEDITATIO III.
Concludens Exercitia Spiritualia.

Directorium noſtrũ in Exercitia Sancti Patris, præſcribit quædam commendanda ijs, qui Exercitia peregerunt, & ab ijſdem in cor demittenda, ad quæ deſerviet hæc Meditatio.

Oratio præparatoria conſueta.

PRÆLUDIUM I. Statue te in præſentia Dei, te intimè penetrantis & pervidentis.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, per quam tibi Exercitia Spiritualia, quæ feciſti, cedant in ſalutem æternam.

PUNCTUM I. Audi dicentem DEUM, per S. Paulum. *ad Romanos 2. Inexcuſabilis es, ô homo.* Et conſidera, nullam te coram Deo, poſt hæc Exercitia, excuſationem habiturum, ſi vitam tuam, juxta rationes æternas, juxta conſcientiam, vota, & regulas religionis non direxeris: non poteris dicere; ignoravi, lumen Dei non habui. Non poteris dicere; non potui, gratiam Dei excitantem auxiliantémque non habui; ſolùm hoc debebis fateri, nolui.

Vide

Vide ergo, nè ſis ſimilis illis Ethnicis Sapientibus, qui cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis. Cognoviſti, quid exigat à te Deus, quid religio, quid tu ipſe: vide, nè evaneſcas; aliàs nullam excuſationem in die judicij habebis. Propone igitur omnia, quæ didiciſti, & in quibus convictum te ſenſiſti, obſervare deinceps.

II. Audi Chriſtum Dominum dicentem, *Luc. 12. Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, &c. & non fecerit, vapulabit multis.* Hoc audiens, conſidera, longè majorem pœnam, ſeu damnationem tuam fore, ſi poſt hæc Exercitia, malus, in ſervitio Dei negligẽs, tepidus, & plebejus, ac vix plebejus Dei ſervus fueris, quàm ſi nunquam ea feciſſes: quia quò majora alicui Deus concedit beneficia, eò magìs illi diſplicet, quod ab illo contra ſe committitur: cùm ergo tantum tibi Deus, per hæc Exercitia, præſtiterit beneficium, væ tibi, ſi ad priſtinas tuas redieris conſvetudines! horrendum eſt illud, magni cujuſdam viri dictum: Quem Exercitia S. Ignatij non corrigunt, illum nec ipſe corriget infernus. Scias, inter ſigna reprobationis hoc eſſe, ſi ad tantum lumen Dei, velut noctua cæcutias. actum de te eſt, ſi aliam non duxeris religioſiùs vitam; & nè actum ſit, vide quomodo deinceps, in omnibus,

mnibus, te gerere debeas: renova igitur propoſita tua, & in praxin deducere, ſtude.

III. Audi Angelum jurantem, per viventem in ſæcula ſæculorum: *quia tempus non erit ampliùs. Apocalyp.* 10. Et conſidera, quòd hæc Exercitia Spiritualia, fortè ſint ultimum medium, quo ad te excitandum, ad ſéque alliciendum, uſus eſt Deus. Mirabilis eſt Deus, in conſilijs ſuis, quòd te adhuc toleraverit, & occaſionem tantam ad bonum largitus ſit. Agnoſce bonitatem Domini Dei tui, ſincerè te amantis; & vide, nè dicatur tibi: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam.* Venient tibi in mentem, in morte Exercitia hæc, ſtabunt ſingulæ meditationes ante oculos, & loquentur tibi; an non potuiſti? quis te impedivit? cognoſces, ſed ſerò, amiſſum bonum, & totâ non recuperandum æternitate. Ne ergo ità eveniat, propone firmiſſimè, quæ in Exercitijs propoſuiſti, & ſtatim executioni mandare ſtude.

Colloquium. Et quid jam tandem, ô bonitas DEI mei, mecum ages? feciſti mihi ultra ſpem & exſpectationem meam: detrudendus jam eram ad infernum; & ecce, me miſericordiſſimè erexiſti, illuſtrâſti, tempus conceſſiſti. O fons miſericordiarum; quomodo non ſerviam tibi? Si eſt aliqua venula in corpore meo, quæ ab hinc non ſerviet tibi, erue eam. Fac eſſe ergo præterita vita! jam

Digitized by Google

jam me Dominus Jeſus, in novitate vitæ vult ambulare. Domine, qui dediſti velle, da & perficere. Tibi ſit honor, & gloria in perpetuas æternitates, ex me, & ex omni creatura, Amen, Amen, Amen.

In fine, Pater & Ave, Anima Chriſti, & Te Deum laudamus.

INDEX
MEDITATIONUM
& Conſiderationum, hôc Opuſculô Contentarum.

PRIMO DIE EXERCITIORUM.

I. Meditatio : *Præludialis, ad concipiendum magnum ac liberalem animum, Deo diviniſque rebus, in his ſacris Exercitijs, exactè vacandi. ſol. 1.*

II. Meditatio : *De fine, ad quem creatus eſt homo. fol. 12.*

III. Meditatio : *De Medijs ad obtinendum finem, homini à Deo ordinatis. fol. 22.*

Manè, Doctrina Practica.

De perfecta intentione actionibus noſtris præſigenda. fol. 5.

ROMA

A Me-

A meridie, Hora Conſiderationis.

De Principijs & Dictaminibus, imperfectorum, & perfectorum Religioſorum. fol. 15.

SECUNDO DIE.

I. Meditatio: *De formidanda gravitate, & menſura peccatorum mortalium. fol:* 24.

II. Meditatio: *De odibilitate peccati venialis. fol.* 32.

III. Meditatio: *De peccatorum pœnis. fol.* 40.

Manè, Doctrina practica.

De cauſis ruinæ Religioſorum. fol. 27.

A Meridie, Hora Conſiderationis

De horrore peccatorum venialium. fol. 32.

TERTIO DIE

I. Meditatio: *Comparatio Religioſi cum Filio prodigo. fol.* 42.

II. Meditatio: *Proponit confuſionem Religioſi coram Deo. fol.* 52.

III. Meditatio: *De malo Tepiditatis, Religioſis apprimè cavendo. fol* 59.

Manè, Doctrina practica.

De quotidiano exercitio Humilitatis religioſæ, fol. 45.

A Meridie, Hora Conſiderationis.

De Fontibus quotidianorum defectuum. fol. 54.

QUARTO DIE.

I. Meditatio: *De Morte bonorum, & malorum. fol.* 63.

II. Meditatio: *De judicio Dei particulari. f.* 70.

III. Meditatio: *De æternitate. fol.* 78,

Ma-

Manè, Doctrina practica.

De tempeſtiva præparatione ad mortem. fol 65.

A Meridie, Hora Conſiderationis.

De Teſtamento hominis Religioſi fol 73.
Praxis ejus Teſtamenti. fol. 75. & ſeqq.

QUINTO DIE.

I. Meditatio: *De abyſſo divinorum judiciorum. fol. 81.*
II. Meditatio: *de Purgatorio, modiſque illud evadendi fol. 88.*
III. Meditatio: *De Iudicio Dei univerſali. f. 97.*

Manè, Doctrina practica.

de Timendis Dei judicijs fol. 83.

A Meridie, Hora Conſiderationis.

de Timenda Miſericordia, & beneficijs Dei. f. 91.

SEXTO DIE.

I. Meditatio: *de Regno Chriſti. fol. 99.*
II. Meditatio: *de duobus Vexillis. fol 108.*
III. Meditatio: *de eligendo vitæ perfectæ ſtatu, in Religione. fol. 117.*

Manè Doctrina Practica.

de Æſtimatione & amore Religioſæ vocationis. fol. 102.

A Meridie, Hora Conſiderationis.

de Excelſis cogitationibus, & actibus Heroicis, Filiorum Dei. fol. 111.

SEPTIMO DIE.

I. Meditatio: *de Paſſione D. IESV. fol. 120.*
II. Meditatio: *de Compaſſione Matris doloroſæ. fol. 129.*

Digitized by Google

III. Meditatio: *de Signis Clavorum & Lanceæ, in glorioſo Chriſti corpore relictis. fol.* 137.

Manè, Doctrina Practica.

de Obligatione, & conatu ſupererogatorio, ſemper proficiendi. fol. 123.

A Meridie, Hora Conſiderationis.

de Frequenti exercitio fidei divinæ. 131.

OCTAVO DIE.

I. Meditatio: *de Amore Dei. fol.* 140.

II. Meditatio: *de Amore pretioſiſſimæ DEI Matris. fol.* 148.

III. Meditatio: *Concluſio Exercitiorum. f.* 156.

Manè, Doctrina Practica.

de præſentia Dei. fol. 142.

A Meridie, Hora Conſiderationis.

de Servitio Dei, ſinè intuitu ullius mercedis; & deſiderio videndi Deum. fol. 151.

ADJUMENTA EXERCITIORUM:

Seu,

Quid, quovis Die, legendum.

Prima Die.

Manè: Ex Venerab: Th. Kemp. lib. 1. c. 20.

Ex S. Patris Exercitijs *Annotationes.* F.

A Meridie: Ex Thom. Kemp. l. 3 c. 9. & 10.

Ex libello Exercit. S. Ign. *Modus eligendi poſterior.* DD. 2.

Die

Die Secunda.

Manè: ex Th. Kemp. l. 1. c. 22. num. 5. 6.
Ex lib. Exercit. *Examen Generale* D. *&* *Regulæ ad motus animæ diſcernendos.*
A Meridie: Thom. Kemp: lib. 1. cap. 15.
Ex Exercitijs; *Primus Modus orandi* M. & *Notanda pro 2. Hebdomoda* S. 2.

Die Tertia.

Manè ex Thoma Kemp. lib. 3. cap. 10.
Ex Exercit. 2. & 3. *Modus orandi* M. 2.
A Meridie: Th. Kemp. lib. 1. c. 25.
Exercit. *Regulæ utiles ad pleniorem Spirituum diſcretionem* S:

Die Quarta.

Manè Kemp lib. 1. cap. 23.
Exercit. *Præludium ad Electionem fac*: BB.
A Meridie: Thom. Kemp lib. 1. cap. 24.
Exercit. *De tribus hominum claſſibus.*

Die Quinta.

Manè: Kempenſ. lib, 3. cap. 14. vel 58.
Exercit. *Regula pro Eleemoſynis* FF. 2.
A Meridie: Kemp. lib 3. cap. 22.
Exercit. *tres Modi Humilitatis* AA.

Die Sexta.

Manè: Kemp l. 2. c. 1. uſque ad num. 4.
Exercit. *Ex Addition.* F. *de uſu pœnitent.*
A Meridie: Kemp. lib. 2. c. 8.
Exercit. *Notanda pro 3. Hebd.*

Die

Die Septima.

Manè : Kemp. lib. 2. c. 1. n 4. & 5. & cap. 11.
Exercit: *Quædam de Scrupulis.* SS.
A Meridie : Kemp. lib. 2. c. 12.
Exercit. *Regulæ ad victum temperand.* LL. 2.

Die Octava.

Manè : Ex Kemp. lib. 3 cap. 59.
Exercit. *Regulæ, ut cum Ecclesia Orthodoxa rectè ſentiamus.*
A Meridie : Ex Kemp. lib. 3. cap. 49.

Poterunt præterea & alia legi, ſecundùm directionem Patris ſpiritualis, Exercitia tradentis.

Atque hæc

O. A. M. D. G.

Et pro obtinenda

GRATIA FINALI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. BIBLIOTECA